LEONIS ALLATII DE

Erroribus Magnorum Virorum in dicendo


Dissertatio Rhetorica.

Ad Clarissimum, & Eruditissimum Virum

IOANNEM FRANCISCVM Slingelandum,

PROTONOTARIVM APOSTOLICVM, & Canonicum Duacensem.





ROMAE,
Apud Hæredes Mascardi. M. DC. XXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.



Clarissimo, & Eruditissimo Viro

IOANNI FRANCISCO SLINGELANDO,

Protonotario Apostolico, & Canonico Duacensi.

Leo Allacius S.



CVM annis elapsis in Almo Græcorum, quod in Vrbe est, Collegio, Clarissime Slingelande, Græcis dirigendis, moderandisque studijs, Pauli V. munificentissimi Principis iussu, præessem, inter humaniores congressus, & Rhetoricas concertationes, quibus quotidie, seuerioribus negotijs non impeditus, adolescentes exercebam, scriptum illud aureum, ac verè gemmeum Longini περὶ ὕψους enucleatiùs, vti par erat, examinans, in celeberrimam illam Quęstionem, *De Oratione sublimi, nonnunquam tamen errante; & de Mediocri, quæ nullas labes haberet, sed splenderet* ἀναμάρτητος, sæpè sæpiùs incidi. Animaduerti ex ea Magnorum Virorum, qui ipsa in Arte primas iudicio omnium occupasse existimantur, multiplices errores, ac lapsus, non ijs contemptum, sed admirationem parere, ac laudem; atque inclementem iniquissimorum obtrectatorum loquacitatem omninò profligari: ea siquidem culpa nō artis, aut doctrinæ, sed

naturæ ipsi vitio danda est, quę, dum speciosior, ac seipsa coloratior ad summum peruenit, cùm nec subsistere, nec progredi possit, retro quasi ruina quadam acta reuoluitur: difficilis namq; in perfecto mora, adeòq; recedat, quod nō procedit, necesse est. Curiosam de hac re disquisitionem iamtum exorari passus sum, vt scripto consignarem, & quid ipse sentirem, apertum facerem: nunc verò eam varietate materiæ, & argumentorum copia pleniorem, amicorum hortatu, ac penè iurgio, in lucem proferēs, nominis tui patrocinio firmandam existimaui. Et quamquam mutuam à nobis necessitudinem sanctissimè cultam, ex quo primùm ad Vrbem cum Eminētissimo Cardinali à Balneo accessisti, omnibus persuasum esse non inficior, atque ijs præsertim, qui nos hìc coniunctissimè semper vixisse deprehenderunt; vtriusq; tamen nostrū non mediocriter intererit, vt exteri quoque, atque inter eos Viri meo quidē iudicio præclarissimi, Puteanus, Geuartius, Vvendelinus, Syluius, Fromondus, & alij, quibuscum maximam etiam familiaritatem præsens inijsti, intelligant, quàm hìc bonis pariter omnibus, atque eruditis peramanter acceptus vixeris; meq; simul eum esse cognoscant, qui illorum omnium in Te transfusam eruditionem, virtutesq; omnes, ac vitæ cādorem eximium libentissimè complectar. Hæc propterea tuis iuxta, ac meis amicis testata esse

volui

volui iſtiuſce Libelli munere, quod Roma diſcedens, veluti Propempticon, accipies. Enimuerò, quem alium de Laboribus meis Tibi conuenientiùs offerrē, quàm hunc ipſum, in quo *de Magnorum Virorū Erroribus in dicendo* Diſceptationem inſtitui? Cùm hoc vnū enixè ſemper contenderis, vt in hac linguarum, & eloquentiæ Palæſtra cultior omninò cæteris, ac inſtructior appareres; nec Latini tātùm, aut Germanici, ſed Italici quoque ſermonis diuitias, ac venuſtates omnes in tuū veluti fundum, ac horreum aſportaueris: quod equidē, quàm felici, ac beata meſſe præſtiteris, non ego à me tantùm productum velim apud poſteros, qui de Te, Viro mihi amiciſſimo non minùs verè, quàm liberè prædicanti, vix tamen abſq; adulationis ſpecie concederent; ſed ea de re ad Te ipſum loquentem, & aurea quadam ſuauitate catenulis inſtar Herculis Gallici homines, in tui cultum pertrahentem, prouocabo; aut potiùs non infimi ſpiritus Poëtæ Leonis Sempronij verſibus ante bienniū editis tamquam teſtibus vtar, qui ſatis, ſuperq; declarat, quàm facilè nō modò, atque expeditè, ſed quàm ornatè inſuper, ac facundè, hoſpes, ac peregrinus, ea lingua vtaris, quæ natiua licet in Petrarchis, Bembis, Sannazarijs, Areoſtis, Taſsis, alijsq; Italicæ eloquentiæ ſtudio addictis, ſui tamen maximam excitant admirationem. Vale.

ALEXANDRI RAINALDI
Vaticanæ Bibliothecæ Custodis,

IN

LEONEM ALLATIVM
Vrbanas Apes edentem,

Carmen.

DVm canere Vrbanas, dulciq; ad sydera plectro
Ferre LEO moliris Apes, tenuesq: per auras
Trans dites Arabumq; plagas, & littora Ponti
Carpere iter, cursumq; iubes, monumenta recensens
Docta virum, modò quos gremio tenet inclyta rerum
Vrbs domina, Aeneadum toties celebrata triumphis.
Perpetuò hinc memor, ac volitans tibi parta per orbem
Fama, decus, nomenq; æternum, examina mille
Erumpunt, totidemq; Duces Heliconis ad arces,
Gorgoneumq; iugum, ad doctis loca culta Camænis
Aligero tendunt cursu, & fastigia Pindi
Florida vestigant oculis, blandoq; susurro
Prata legunt; nectar varijs pars floribus haurit
Aethereum, vatiq; suo pars tempora sertis
Cingit odoratis; atque hinc sublime volantes
Teq; per Aethiopas, Te gemmiferosq; per Indos
Dulcè canunt, mirisq; modis tibi carmina dicunt.
En iterum Seres, Nabathæi, atque vltima rursus
Bactra, feriq; Getæ, septemplicis accola Nili,
Feruentem quicumque Tagi auricoloribus æstum
Pellit aquis (veluti resonat memorabilis vsque
Fama Patrum) mirantur Apes prodire LEONIS

Non

Non laceri ex ore, immani vel cæde perempti:
At sospes cui vita viget, cui stamina Parcæ
Longa neant, viridiq; actam cui flore iuuentam
Proroget Omnipotens; armis qui percitus olim
Rugitu procul emisso tentoria, turmas
Contremere hostiles, prælongam cominus hastam
Excutiens, aciesq; truces, Equitesq; superbos
Præcipitare fuga, numerosaq; castra, phalanges,
Agmina & horrenda (ò mirum) dare terga coegit.
Et spolia ampla trahens Tarpeia ad culmina victor
Extulit intrepidus nullam subitura ruinam.
Instructas quà emittit Apes, quà spicula centum
Telaq; vulnifica, & sæuas Vrbana sagittas
Quæque Apis intorquens, Latialis Palladis hostes,
Romaniq; fori insequitur, præcordia & ima
Transadigit, rabidisq; feris miseranda relinquens
Corpora, magnanimi dextra suadente LEONIS
Romulidum, Aonidumq; chori decora alta tuetur.
Anceps interea nostram sententia mentem
Detinet, insueta curarum & mole fatigat,
An plus laudis, Apes vectas super æthera mille
Vnius cythara, an cytharis LEO mille canendus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

DIſſertationem Leonis Allatij, *De Erroribus Magnorum Virorum in dicendo*, arbitratu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, perlegi: eamq; Fidei, ac moribus conformatam; & quæ, magnos Viros doctè perſtringens, maximum probet Auctoris ingenium; ſtudioſorum expectatione, ac typis dignam cenſeo. Romæ, die 20. Februarij, 1635.

Gaſpar de Simeonibus.

Imprimatur,

Fr. Antoninus Cellius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. Patris Fr. Nicolai Riccardij Sacri Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

LEONIS ALLATII
Dissertatio Rhetorica,

De
Erroribus Magnorum Virorum in dicendo.

CAPVT I.

Omnia proprio præsidio sua tutantur. Homo sua, Ratione, & Oratione, quibus & præstat cæteris animantibus. Earum affinitas varijs iconibus exprimitur. Galeni, Quintiliani, Lactantij, aliorumq. opiniones refelluntur.

CONSVLTRIX, & prouida vtilitatum, opportunitatumq. omnium Natura ita tulit; vt suo quodq. muniretur præsidio, tutareturq. sua, non alienis, sed proprijs, & facilitate potentiæ, & aptitudine instrumentorum, & vt ipsa varia est, ita

singulis ad sui conseruationem arma concessit diuersa. Sic Equi velocitate pedum, Tauri cornuum acumine, vnguium robore Leones, alarum conamine Volucres depellunt exitium, salutem fulciunt, & demum ad vsus vitæ necessaria capessunt. Nudus, & infirmus nascitur Homo, suaque imbecillitate cæteris obnoxius. Quid ergo? ad prædam, rapinamq; animantibus eum proponet? Quis tam flagiotiosè in Naturam iniurius, tantum nefas cogitatione tenus ne dicam verbo, affirmabit? Occultam quasi scintillam illi concessit, quam Mentem dicunt homines, qua se tueri posset, suaque, & validissimus fieret. Seneca lib. 4. de Benef. cap. 18. *Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent, Rationem, & Societatem. Itaq; qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potiretur.* Et Maximus Tyrius dissertatione 32. Ενεφύσησε δέ τι αὐτῷ ζώπυρον· ἀφανὲς πρὸς σωτηρίαν βίου, ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι Νοῦν, ᾧ διατηρεῖ σωζόμενον, καὶ τὰς ἀπορίας ἐξιώμενον τοῦ βίου, καὶ θεραπεύων τὴν ἔνδειαν τῶν σωμάτων, καὶ ἀντιτεχνώμενον ταῖς τῶν ἄλλων ζώων πλεονεξίαις, καὶ πάντων κρατοῦν, καὶ ὑπάγειν τῷ τοῦ δε νόμῳ, καὶ λόγῳ. *At huic latentem indidit fomitem ad salutem conseruandam, quam homines Mentem appellarunt; in qua perpetua, ac salutaris potentia consistit. Hæc verò ipsa vitæ egestatibus succurrit, corporibus in indigentijs subuenit. Artificiosè*

ficiosè demum peculiaria cæterorum animalium munera compensat, fitq; omnium princeps, ac dučtor, non alio sanè præsidio, quam huius Mentis ratione, ac lege. Cicero 1. Offic. *Duplex est enim vis animorum, atq; naturæ, vna pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc, & illuc rapit; altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq;.* De hac eadem re plura; si placet, vide in Præfatione Sallustij in Bellum Iugurth. Basilio Magno orat. 10. Hexahem. Ambrosio in Hexahem. lib. 6. & lib. de Dignitate humanæ conditionis. Vide & Manilium extremo lib. 4. Astronom. Nemesium Episcopum de Natura hominis cap. 1. Platonem in Axiocho, Orationem Ioannis Pici Mirandulani. Macarium hom. 26. & 27. Oppianum, & alios. Falsò ergo quæritur de natura sua Genus humanum, quod imbecilla, atque æui breuis, forte potiùs, quàm virtute regatur, cum habeat Mentem; qua vna se tueri, quæ, quidquid deest, reparare, reliquaq; omnia, quæ seiuncta alijs concessa sunt, potest per se ipse explere; quaq; item singula, quibus alia præstant animantia; facilè compensando, cæteris imperat. Et id illud est, quo præstamus belluis, vnimur Deo, Græcis λόγος. Sed sagax humanum Genus, & in malum pronũ, suam dignitatem, & decus non veretur brutis etiam animãtibus concedere, rationem illis tribuendo, nec

mente separat hominem à belluis. ò malè. ò indignè factum! Galenus Exhortatione ad Artes liberales, Εἰ μὲν μηδ' ὅλως λόγου μέτεστι τοῖς ἀλόγοις ὀνομαζομένοις ζώοις ἄδηλόν ἐστιν. ἴσως γὰρ εἰ καὶ τοῦ μὴ κατὰ τὴν φωνὴν, ὃν καὶ Προφορικὸν ὀνομάζουσιν, ἀλλὰ τοῦγε τὴν ψυχὴν, ὃν Ενδιάθετον καλοῦσι μετέχει πάντα τὰ μὲν μᾶλλον, τὰ δ' ἧττον. *Vtrum animantibus, quæ rationis expertia nominantur, nulla omninò sit tributa ratio, non planè constat. Nam vt careant ea, quæ in voce versatur, quam sermonem vocant: certè eius, quæ in animo est, quam internam appellant, omne genus animantium, quamquam vel magis, vel minus particeps fortasse fuerit.* In eandem sententiam disserit etiam Fabius Quintilianus 2. suarum Institut. nonnulliq; alij, quorum dicta infrà laudabimus.

Menti internæ nascitur alius λόγος, prioris frater, ita tamen, vt primus ille, secundi huius sit fons, & origo; & secundus ab eo dimanans effluat. Sedes illius Hegemonicon est; huius secũdi os, & lingua, cæteraq;, quæ ad vocem efformandam concurrunt. Mens namq; excitata aliquo sibi familiari sumit impetus, inde commota rerum externarum formis, concipit, & parturit cogitationes, nec nisi voce veluti obstetrice mediante, quæ eas excipit, producit in lucem. & quæ iam in tenebris abdita celabantur, voce, lucis more, affulgente reteguntur.

Philo Iudæus lib. 3. de Vita Moysis. Εν ἀνθρώπῳ δ' ὁ μὲν ἐστὶν Ενδιάθετος, ὁ δὲ Προφορικὸς, καὶ ὁ μὲν οἷά τις πηγὴ, ὁ δὲ γεγονὼς ἀπ' ἐκείνου ῥέων. καὶ τοῦ μὲν ἐστὶ χώρα τὸ ἡγεμονικὸν, τοῦ δὲ κατὰ προφορὰν γλῶττα, καὶ στόμα, καὶ ἄλλη πᾶσα φωνῆς ὀργανοποιΐα. Hoc pluribus explicauit etiam lib. *Quod deterius potiori insidiari soleat*. Plato in Sophista. Οὐκοῦν διάνοια μὲν, καὶ λόγος ταυτὸν πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος, τοῦτ' αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη Διάνοια. πάνυ μὲν οὖν. τὸ δέ γε ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου, κέκληται Λόγος. *Cogitatio igitur, & Ratio idem sunt. Quamquam interior illa animæ cum seipsa allocutio, quæ fit sine expressa voce, illud ipsum à nobis cognominatum est Cogitatio. At is fluxus vocis, quæ ab ore cum sono egreditur, vocatur Oratio.*

Quare non illepidè Mercurio, qui fuit ἑρμηνευτὴς λόγου, ἢ αὐτόσχημα λόγος, vt tradit Dionysius Halicarnas. in præceptis Rhetoricis, Protreptico ad Athletas, Aegyptio idcirco Ibin in amore esse dixerũt, quod orationis speciem, similitudinemq; gerat. Pennas enim in eius alis nigras, cum tacito adhuc, & nondum emisso sermone comparant. Prolatæ verò orationi, quæ iam intima sensuum enunciat quasi interpreti, ac nuncio candidas conferunt. Horatius.

Post effert animi motus interprete lingua.

Aelianus de histor. anim. lib. 10. cap. 29. Καὶ

τῷ Ἑρμῇ δέ φασι τῷ περὶ τῶν λόγων φιλεῖ). ἐπεὶ ἔοικε τὸ εἶδος τῇ φύσει τοῦ λόγου. τὰ μὲν γὰρ μέλανα ὠκύπτερα τῷ τε σιγωμένῳ, καὶ ἔνδον ἐπιστρεφομένῳ λόγῳ παραβάλλοιτο ἄν. τὰ δὲ λευκά, τῷ προφερομένῳ τε, καὶ ἀκουομένῳ, καὶ ὑπηρέτῃ τοῦ ἔνδον, καὶ ἀγγέλῳ, ὡς ἂν εἴποις.

Primum Philo, & Galenus Ἐνδιάθετον appellarunt, quasi dicerent, Orationem internam, siue intus delitescentem, non iam patefactam, sed in obscuris sitam; non, vt malè interpretatus fuerat in Galeno Erasmus, *Rationem affectuum capacem*. Aristoteles 1. Analyt. Poster. 8. vocauit τὸν ἐν ψυχῇ, quemadmodum, & secundum τὸν ἔξω λόγον; quem Philo, & Galenus Προφορικόν, Plutarchus, τὸν ἐν προφορᾷ, Λεκτικὸν Demosthenes. Qui qua ratione differat, ab eo, quem λόγον ἐγγράμματον. &, ἔγγραφον αὐδὴν alij dixerunt, Philosophorum esto negotium explicandi.

Horum affinitatem, ac necessitatem variè varij expressere. Plotinus lib. 2. Ennead. 1. de Virtutibus. Sermonem, qui est in voce, imitationem eius, qui est in anima, vocauit. Ὡς γὰρ ὁ ἐν φωνῇ λόγος μίμημα τοῦ ἐν ψυχῇ, οὕτω καὶ ὁ ἐν ψυχῇ μίμημα τοῦ ἐν ἑτέρῳ. Dionysius Halicarnass. Antiquit. Rom. lib. 1. animi cuiusq; imaginem. ἐπιεικῶς γὰρ ἅπαντες νομίζουσιν εἰκόνας εἶναι τῆς ἑκάστου ψυχῆς τοὺς λόγους. Quam sententiam iisdem propè verbis extulerat Aristoteles, siue

Au-

Auctor Rhetorices ad Alexandrum. Οἱ δὲ λόγοι τῶν ἠθῶν, καὶ τῶν τρόπων εἰσὶν οἷον εἰκόνες. Interpretem mentis pluribus in locis Philo Iudæus, & ante eum Cicero 1. de Legibus, *Interpres mentis est Oratio, verbis discrepans, sententijs congruens*. Seneca epist. 115. Vultum animi. *Oratio vultus animi est: si circumtonsa est, & fucata, & manufacta ostendit illum quoque non esse sincerum, & habere aliquid fracti*. Cassiod. Variar. lib. 6. ix. *Speculum siquidem cordis hominum verba sunt*. Omnium tamen accuratissimè Xenophon ἀπ. μνημον. μ. 3. Ἦ οὐκ ἐντεθύμησαι, ὅτι ὅσοι τε νόμῳ μεμαθήκαμεν κάλλιστα ὄντα, δι' ὧν τε ζῆν ἐπιστάμεθα, ταῦτα πάντα διὰ λόγου ἐμάθομεν, καὶ εἴ τι ἄλλο καλὸν μανθάνει τις μάθημα, διὰ λόγου μανθάνει. καὶ οἱ ἄριστα διδάσκοντες μάλιστα λόγῳ χρῶνται, καὶ οἱ τὰ σπουδαιότατα μάλιστα ἐπιστάμενοι κάλλιστα διαλέγονται. *An non tecum ipse cogitas, nos ea vniuersa, quæcumq; de præscripto legis longè pulcherrima didicimus, & per quæ viuendi modum tenemus vnà cum quauis alia bona disciplina, Orationis ope didicisse; quodq; doctores optimi sermone in primis vtantur, & qui dignissima cognitione tenent, pulcherrimè disserant?* Quare non immeritò Diogeni mirum videbatur, cùm ollam, & operculum, non emerent homines, nisi pulsu, & tinnitu exploratum; in emendo homine, solo aspectu esse contentos.

Dolet iterum à nonnullis summam hanc dignitatem animalibus tribui. Neque enim illi mirandum esse fatentur, si eorum sermonem minimè percipiamus, cum nec Persarum, nec Scytharum idioma vllus Græcorũ intelligat. Impius ille Porphyrius περὶ ἀποχ. ἐμψύχ. pluribus id argumentum pertractat, validisq; vt ipse existimat, rationibus confirmat. Nec dissentit Lactantius Firmianus lib. de ira Dei. *Nam cætera, quæ videntur hominis esse propria, etsi non sunt talia in mutis, tamen similia videri possunt. Proprius homini sermo est: tamen & in illis quædam similitudo sermonis. Nam & dignoscunt inuicem se vocibus: & cum irascuntur, edunt sonum iurgio similem: & quum se ex interuallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur incõditæ, sicuti & illis fortasse nostræ: sed ipsis qui se intelligunt, verba sunt: deniq; in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant.* Et paulo post. *Quid tam homini proprium quam ratio & prouidentia futuri? Atqui sunt Animalia, quæ latibulis suis diuersos, & plures exitus pandant, vt, si quod periculũ incideret, fuga pateat obsessis.* Et subdit. *Quòd si horum omnium, quæ adscribi homini solent, in mutis quoque deprehenditur similitudo, apparet solam esse religionem, cuius in mutis nec vestigium aliquod, nec vlla suspicio inueniri solet.* Quintilianus lib. 2. Institut. solam

dicendi facultate homines tradit à belluis separari. *Et hercle Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorq; Mundi, nullo magis hominem separauit à cæteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus, quàm dicendi facultate*. Et postea subdit. *Sed ipsa ratio nec tam nos iuuaret, nec tam esset manifesta in nobis, nisi, quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse cæteris animalibus, quam intellectum, & cogitationem quandam videmus.* Nam & *moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quinetiam reponere alimenta in hyemem, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum, ac mellis, efficere nonnullius forte rationis est. Sed quia carent sermone, quæ id faciunt, muta, atque irrationalia vocantur. Deniq; homines, quibus negata vox est, quantulum adiuuat animus ille cælestis? Quare si nihil à Dijs oratione melius accepimus, quid tam dignum esse cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, quã quo ipsi homines cæteris animalibus præstant?* In hanc eãdem sententiã plura habet Sextus Empiricus Pyrrh. Hypotyp. lib. 1. & alij. Verùm hæc à nugamentis Pythagoricis fluxisse, quæ brutis rationem, sermonemq; tribuerunt, nemo est sanæ mentis, qui dubitet. Sciant ipsi, glorienturq; belluas suis admonitionibus mansuefactas domare, earumque sermonem æquè, ac humanum percipiant,

loquanturq; etiam, si velint, βοῖςὶ, de quibus plura apud Malchum, & Iamblichum in vita Pythagoræ,& Ioannem Chrysostomum hom. 1. in Ioannem. Nos qui veritatem amplectimur sua homini vindicabimus, Mentem illi, Rationem, ac primum λόγον soli, alijs belluis, ac feris iniquè communitatum restituemus; quemadmodum & secundum: illiq; Rationem, & Orationem, vt patrimonium relinquamus. Ideò enim homines sumus, quia rationem, & orationem à Deo immortali, bono consilio datam, possidemus, & in nostros vsus conuertimus. Varro Caprino prelio non absimili sententia. *Nam virtutem propriam mortalibus facit, cætera promiscuè voluit habere.* Mittamus cæteros solus Cicero 1. de officijs sententiam nostram concludat. *Societatis humanæ vinculum est Ratio, & Oratio, quæ dicendo, communicando, disceptando, iudicando, conciliat inter se homines, coniungitq, naturali quadam societate. Neque vlla re alia absumus à natura ferarum.* & lib. 1. de Oratore: *Hoc enim vno præstamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus.*

CA-

CAPVT I I.

Oratio simul cum homine nata: principiò vna, & rudis, facinore Babylonico diuisa: Eam pro cuiusq; libidine vagantem notis quibusdam, siuè characteribus dicendi Magistri signarunt. Quid sit Character. Dicendi Characteres tres, eos Græci vocauere Ἁδρόν, Ἰσχνόν, Μέσον. *Reprehenditur Characteris definitio à Scaligero tradita: Nec non Demetrij Phalerei, & Apollonij Tyanei, aliorumq; dicendi generum diuisio.*

ORatio itaque hæc externa, interioris illius, ac secretioris orationis, siue etiam mauis rationis imago, & interpres, inter ipsos mortales à prima eorum origine, lingua licet diuersa, innotuit. Neq; fas est in rerum natura momentum temporis assignare, post humanum genus absolutum, quo sine ea vitam traduxerit, cum semper rationis compotem hominem fuisse, firmum, ac sanctum sit. Generis humani idem sermo, & eiusdem rationis eadem oratio. nec eiusdem linguæ humanæ varię fuerunt linguæ. Vno sole, vno eodemq; vbique terrarum homines sermone vte-

ne vtebantur. Boni huius vſque ad erectionem Babylonicam compotes, mutuò ſe intelligebāt, nec homo hominē refugiebat; neque ſermonis diuerſitate,carebat comercio. Superbia hominis audaci effectum eſt, vt plures eſſent hominum linguæ, quam auium cantus, quam voces animantium. Principiò rudis, & inculta,quem admodum, & mores, vitaq; ipſa hominum, pauciſſimis contenta. qui libidine in luxus effuſi,voluptatibus indulgentes,à ritu humano degenerarunt. Inde quibuſdam additis, præſcriptisq; lex etiam dicendi ſancita. Tandem rudi veſtitu eiecto,mundum ſibi,apparatumq; appoſuit, vt fulgeret, & pro cuiuſq; libidine modò grauis, ſuperba, ac tumens: modò media, & vbertate florida: modò mollis, eneruiſq; incederet. & verecundia, pudoreq; pulſo,quid in ea rectum, quid honeſtum eſſe poterat? Quandoq; in lupanari adultera deprehenſa eſt, neque ſeſe abſtinuit.ſed vetat pudor ingenuus eorum com. miniſci, quæ cum fraude malorum fierent; bonorum ſubſidio ad ſummum faſtigium peruenit.Sub alijs nationibus diu vagata,neque enim id negare licet, profectum fecit: laudis, gloriæq; merces Græcis, Romaniſq: data eſt. qui ſicut vitæ, ita & Orationis alijs norma, & regula fuere. De elaborata illa, & picta loquor, quæ pro re, arbitrio vario, dirigitur, ac ſæpè contrario ei, qui dicit; non de quotidiana.

Nam

Nam quemadmodum dictio, quamquam est communis omnium locutioni, quia est εἰπεῖν, & ἔπος, tamen solis Dactylicis senarijs magniloquis atttributa fuit: ita oratio, tametsi competit omni hominum dictioni, tamen soli eloquentiæ, Poëtis, & Oratoribus Græcis, ac Latinis communi, attributa est.

Sed vt animalia αὐτοφυῆ putre nescio quid præseferunt, ita oratio hæc ex se nata, nec certum auctorem professa, nullius esset auctoritatis, & prætij. quare artis Magistri notis quibusdam, seu Characteribus excogitatis, eam ita signatam esse voluerunt; vt statim Lectori obuiam fieret, quod genus esset dicendi, quem præseferret auctorem; illisq; veluti signis suum genuinum quisq; fætum agnosceret. & quemadmodum in humano genere lineis quibusdā, coloribus, membrorū dispositione, & quandoq; habitu, atque incessu vnum hominem ab alio separatim cognoscimus, neque personas confundimus; sic & in palæstra dicendi hac vel illa rerum inuentione, dispositione, hisce potiùs quam illis figuris, coloribus, dicendi structuris, spiritibus verum auctorem illius intuemur. Nec fallimur equidem; notas enim illius, signaq; ad amussim in illa expressa conspicimus, &, vt ita dicam, inusta.

Nota hæc, siue signum variè ab antiquis, varijsq; vocibus nominatur. Dionysius Halicarnas-

nas. lib. de Verborum collocatione sæpiùs, & in Isocrate Atheniensi, & Epistola ad Gnæum Pompeium,& de Thucydidis charactere, ac reliquis eius proprietatibus ad Q. Aelium Tuberonem τόπον vocauit. Non me latet Henricum Stephanum Schediasm. lib. 2. cap. 14. lectori considerandum reliquisse, an non τύπου nomen in his locis reponendum sit. Idem Halicarnas. pro eodem vsurpauit, & ζόπου nomine in eodem Isocrate, & Dinarcho. Sæpissimè vsus est τύπου vocabulo in Γαμηλίων μεθόδῳ, in Xenophonte, & alibi. εἶδος, & ἰδέα pro eodem apud eundem,& alios in vsu sunt. sic item apud Plutarchum,& Hermogenem legimus, ἡ τῆς φράσεως ἰδέα. Cicero in Oratore,& *Formam*, & *Genus dicendi* vocat. *Stilum* etiam pro eodem sumi à nonnullis traditum est.& Plinius Secundus lib. 2. Epist. 5. ad Lupercum, *Dicendi species* appellauit. *Adnisi certè sumus, vt quamlibet diuersa genera lectorum per plures dicendi species teneremus*. Optimè tamen omnium rei naturam, de qua nobis sermo est in præsenti, exprimit vox Græcis Χαρακτὴρ, Latinis etiam in vsu *Character*. Sic enim vocantur notæ illæ, quæ in lateribus armentorum, vel in alijs partibus ferro candente inuruntur. Columella lib. 11. cap. 2. *Nec minùs maiora quadrupedia charactere signari debent*. Sic cum ceræ, luto, metallo, alijsq; facies quædam, vel nota alicuius imprimitur,

mitur, *Characterem* illud appellamus. Isidorus lib.20.cap.16. nescio qua ratione ita expressit. *Character est ferrum coloratum, quo notæ pecudibus inuruntur, χαρακτὴρ autem Græcè, Latinè Forma dicitur.* Nomen hoc inde translatum est aptissimè ad hunc significatum, vt eo genera dicendi, seu formæ distinguerentur.

Characterem autem ita expositum sic Iulius Scaliger, Poëtices lib.4.cap.1. definit. *Est autem Character dictio similis eius rei, cuius nota est substantia, quantitate, qualitate.* Malè factum à Scaligero multis modis. Primum, Character dictionis est character, in ea enim sustentatur, vt ita dicam: & dictio materia est, character forma: Dictio informatur à charactere, qui quasi nota eam ab alijs separat, illius notas reddentem. Quod optimè expressit Posidonius apud Senecam epist. 95. *Ait vtilem futuram esse descriptionem cuiusq; virtutis. Hanc Posidonius Aetiologiam vocat: quidam χαρακτηρισμὸν appellant, signa cuiusq; virtutis, & vitij, ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur.* Quomodo ergo character erit dictio? Character constituitur ex dictione, ornatu figurarum, & numerorum; non erit ergo dictio; nisi etiam velis dicere, Hominem esse terram, aquam, ignem, aërem, vel quatuor elementa, quia ex illis constituitur, & ridiculum esset dicere, Character, siue nota est bos, vel iumentum, quia

bos,

bos, & iumentum dicto charactere signatur. & illud signum est simile, eius rei cuius nota est; effigiei videlicet, quæ in ferro exculpta est: Secundum, *Dictio similis eius rei, cuius nota est*. Verum dictionem esse similem illius, vel saltim debere esse similem eius rei, quam explicat. Ideoq; non immeritò Halicarnasseo, *Morum imago* oratio dicta est in Lysia, ὥστε εἰκόνας εἶναι δοκεῖν τῶν ἠθῶν τοὺς λόγους. & Soloni apud Laertium εἴδωλον τῶν ἔργων. Σόλων ἔλεγε τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων. Hoc tamen characteri non conuenit, qui potiùs res, rerumq; effigies mutat, ita vt ex paruis magna, & contra faciet. & nos infrà agemus. Non erit ergo *Character dictio similis rei, cuius est nota*. Præterea, *Cuius est nota*. Character non est nota rei, quam explicat, sed potiùs nota dicentis, quæ dictioni imprimitur, ex qua auctor dictionis nobis innotescit. Deinde, Character studio hominum, ac diligentia comparatur, & rebus, vt sunt eorum ingenia, accommodatur, vnaq; & eadem res à Demosthene grauiter, humiliùs à Xenophonte describitur; non erit igitur Character *dictio similis eius rei, cuius est nota*. Tandem, omninò superant illa verba, *substantia, quantitate, qualitate*. Omnis enim dictio, quæcunq; illa sit, semper secum habet suam substantiam, quantitatem, & qualitatem. His colligitur Characterem dicendi nihil aliud esse, quàm notam à di-

cente

cente dictioni impressam, per quam illa dictio ab alia separata, facta talis, discriminatur.

Neque in Characterum numero tradendo Auctores conueniunt, Apollonius Tyanæus ad Scopellianum Sophistam quinque statuit, Philosophicum, Historicum, Iudicialem, Epistolicum, Hypomnematicum, Πέντε εἰσὶ σύμπαντες οἱ τοῦ λόγου χαρακτῆρες, ὁ Φιλόσοφος, ὁ Ἱστορικὸς, ὁ Δικανικὸς, ὁ Ἐπιστολικὸς, ὁ Ὑπομνηματικὸς. Alij duos tantum esse voluerunt, Grauem, & Exilem; alios, si qui sunt, in eis contineri asseuerant. Demetrius Phalereus lib. de Elocutione, quatuor tradidit, Ἰσχνὸν, Μεγαλοπρεπῆ, Γλαφυρὸν, Δεινόν. Hæc sententia iure merito ferè ab omnibus exploditur. Diuisionis enim partes sunt nimis multæ. Ornato nihil respondet. Tam Μεγαλοπρεπὴς, quàm Ἰσχνὸς ornati esse possunt. Qui Demetrio Γλαφυρὸς est, is Proclo in Chrestomathia Ἀνθηρὸς, qui refert illum per se non esse dicendi figuram, sed alijs mixtam cum illis simul efferri, conuenireq; locorum, pratorum, lucorumq; descriptionibus. Ἀνθηρὸν δὲ κατ' ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα, ἀλλὰ συνεκφέρεται. καὶ συμμέμικται τοῖς εἰρημένοις. ἁρμόζει δὲ τοπογραφίαις, καὶ λειμώνων, καὶ ἀλσῶν ἐκφράσεσιν. In hac sententia fuisse & Aphthonium minimè dubium in progymn. Ἐργάσῃ δὲ τὴν Ἠθοποιΐαν χαρακτῆρι σαφεῖ, συντόμῳ, ἀνθηρῷ, ἀπολύτῳ, ἀπηλλασμένῳ πάσης πλοκῆς τε καὶ σχήματος. Quare

quidam censuerunt *Floridum* esse affectum, non autem speciem, sicut & plenum, & incitatum, & præceps, & instans, & molle, & remissum, & suaue, & asperum, & breue, & longum, eosq; affectus omnibus æquè generibus competere posse. Verùm quomodo characteres coniungantur, & permisceantur inuicem; dicemus alibi.

Communi, magisq; recepta sententia tres præscribuntur, Ἁδρὸς, Ἰσχνὸς, Μέσος. Halicarnasseus lib. de Demosthenis vi admiranda. Διελόμενος μὲν τὴν λέξιν εἰς τρεῖς χαρακτῆρας τοὺς γενικωτάτους, τόν τε Ἰσχνὸν, καὶ τὸν Ὑψηλὸν, καὶ τὸν μεταξὺ τούτων. Marcellinus de vita Thucydidis, Τριῶν δὲ ὄντων χαρακτήρων φραστικῶν Ὑψηλοῦ, Ἰσχνοῦ, Μέσου. Proclus in Chrestomathia. Καὶ ὅτι τοῦ πλάσματος τὸ μέν ἐστιν Ἰσχνὸν, τὸ δὲ Ἁδρὸν, τὸ δὲ Μέσον. A. Gellius lib. 7. cap. 14. *Et in carmine, & in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quæ Græci* Χαρακτῆρας *vocant, nominaq; eis fecerunt apponi* Ἁδρὸν, Ἰσχνὸν, Μέσον. Et Anonymus in Synopsi Rhetorices, quam Dauid Hœschelius, futilissima Maximi Margunij coniectura, falsò Matthæo Camariotæ ascriptam in vulgus edidit; Camariotæ namque Rhetorices compendium, quod in Vaticana Bibliotheca asseruatur, ab illa edita diuersissimum, nihil aliud est præter Hermogenis compendium, de qua dicam nonnulla in No-

tis

lis meis ad Synopſim Anonymi, quam iam inſtante Franciſco Bartolino mihi ſummo amore coniuncto,& cuius gratia nullus mihi labor,vel dictu grauis, vel perpeſſu aſper; latinam feci. Is, inquam, Anonymus ait, Τρεῖς δὲ τρόποι τῆς διηγήσεως, ἁπλοῦς, ἐγκατάσκευος, καὶ ἐνδιάσκευος· οὓς καὶ χαρακτῆρας τινὲς ὀνομάζουσι, Χαλαρόν, Ἁδρόν, Μέσον. & Plutarchus lib. de Homero. Ἐπεὶ δὲ καὶ χαρακτῆρές εἰσι τῶν λόγων τὰ καλούμενα πλάσματα, ὧν τὸ μὲν Ἁδρόν, τὸ δὲ Ἰσχνόν, τὸ δὲ Μέσον λέγεται. Quibus infra quartum addidiſſe videtur, quod vocat ἀνθηρόν.

Numero Characterum expoſito, quid vnuſquiſque ſit videamus. Ἰσχνὸν eſt, quod habet omnia verba propria,& exconſuetudine,nec ab ea diſcedit. namq; quod extra conſuetudinem eſt,& tranſlatum,idem & magnificum,& grande. Τὸ δὲ ἀσυνήθες, καὶ μετενηνεγμένον μεγαλοπρεπές, vt ſcribit Demetrius. & Anonymus in ſynopſi. Καὶ χαλαρὸς μὲν, καὶ ἁπλοῦς χαρακτὴρ ὁ ἄνευ κατασκευῶν τῷ πανηγυρικῷ ἐφαρμόττων. Plutarchus, Ἰσχνὸν δὲ, τὸ καὶ τῇ ὕλῃ τῶν πραγμάτων μικρὸν, καὶ τῇ λέξει κατισχνωμένον. Proclus etſi familiarem compoſitionem illi tribuat,vult tamen illam eſſe tropis ornatam. Τὸ δὲ Ἰσχνὸν τὴν τερπνὴν μὲν, καὶ φιλοκατάσκευον σύνθεσιν μεταδιώκει, ἐξ ἀνειμένων δὲ μᾶλλον συνήρηται. ὅθεν ὡς ἐπίπαν γοεροῖς ἄεισά πως ἐφαρμόζει. Gellius *Gracile* vertit, cui venuſtatem, & ſubtilitatem

ascribit. His patet, malè à Perionio dicendi genus, quod à Cicerone sub nomine subtilitatis explicatur, pro *Acuto* interpretari. *Subtile* enim idem est ac tenue, & leue, vt contra opponitur grauitati. & *Acutum* ὀξύτητι respondet. Quamuis minimè dubium sit, subtile etiam accipi in ea ipsa significatione *Acuti*. dicitur enim *Subtile iudicium*, *Subtilis conclusio* Quintiliano, & *Subtile differendi genus* Ciceroni; & *Subtile Palatum* Horatio.

Μέσον autem est, τὸ μεταξὺ τούτων, tenuis scilicet, & grauis. Mediocre, inquit Gellius, & vtriusque particeps, veluti in confinio. Proclus, Τὸ δὲ Μέσον, καὶ τοὔνομα μὲν δηλοῖ, ὅτι μέσον ἐστὶν ἀμφοῖν. & Anonymus: Μέσος δὲ τρόπος, καὶ χαρακτὴρ ὁ ἐνδιάσκευος, ὁ μέσως, καὶ μὴ κατακόρως κεχρημένος ταῖς ἀποδείξεσι, μήτε πάντη ἀναπόδεικτα λέγων, μήτε μὴν συνεχέστερον κεχρημένος κατασκευαῖς· ἀλλὰ πῆ μὲν ἁπλῶς διηγούμενος, πῆ δὲ ἐγκατασκευῶς, καὶ ἀποδεικτικῶς, πῆ δὲ ἐνδιασκευῶς, καὶ κατ᾽ ἔκφρασιν, ὃς καὶ τοῖς τρισὶν εἴδεσιν ἐστὶ προσφυής, καὶ Μέσος καλεῖται εἰκότως. μᾶλλον δὲ τὴν λοιπῶν τοῦ συμβουλευτικοῦ λόγῳ ἀνεῖται, καὶ λόγοις τὴν ἱστορίαν συντάττουσιν. τοῖς ἱστοροῦσι γὰρ πῆ μὲν ἁπλῶς διηγεῖσθαι, πῆ δὲ κατασκευάζειν διαπιστευμένα, πῆ δὲ πρόσωπά τε, καὶ πράγματα, καιρούς τε, καὶ τόπους ἐκφράζειν, καὶ παντοίων ζώων ἰδέας. Quæ ita latina fecimus: *Medius verò modus, & Character ornatus, mediocriter, neque ad saturitatem*

tem confirmationibus vtitur, neque omnino indemonstrabilia efferens, neque confirmationibus frequentioribus vtens. Sed hàc quidem simplici, hàc verò instructa, demonstratiuaque, illac ornata dicendi forma describendo res dicendas prosequitur. Quapropter, & à tribus orationis generibus minimè abhorret, & Medius iure, meritoq; dicitur. Quinimò cæteris Deliberatiuo generi magis opportunus est, & ratione historiam scribentibus. Historici namque partim simplici narratione vtuntur, partim ea, quæ credi difficilia sunt, rationibus comprobant, partim personas, res, tempora, locosque describunt; necnon & omnium animalium formas certis signis delineant.

CAPVT III.

Grande, siue Magnificum Orationis genus quodnam sit: eius dignitas; & præstantia; item vitia. Nullus Character purus, sed vnus ab alio participatur. Nonnulla de Concisa, & Ampla Oratione.

IAm ordine, & dignitate primum genus Orationis explicemus. Hoc Græcis quibusdam Ἁδρὸν, alijs Ὑψηλὸν appellatum scimus; Gellius *Vber*; Alij *Magniloquum*, vel

Magnificum, vel *Altiloquum*, Alij *Sublime*, & *Graue*, & *Grande*; Alij *plenum*; Alij *Magnum*; Alij *Amplum*; Alij *Summum*; nonnulli *Generosum* vocarunt: In eo esse τὸ σφοδρὸν, καὶ καταφορητὸν dixit Hermogenes, ideſt, *Vehementiam*, & *Incitationem*; Gellius *Dignitatem*, & *Amplitudinem*. Sed mittamus verba: Characteris huiusce naturam, & effectus prosequamur.

Plutarchus ita definit, Δεινὸν ἐστὶ λέξεων, καὶ νοημάτων κατασκευὴ μεγάλας ἔχων ἐμφάσεις. Anonymus in Synopsi, Δεινὸς δὲ, καὶ σύντονος, καὶ ἐπικατάσκευος, ὁ πυκνοτέραις κεχρημένος ταῖς ἀποδείξεσιν. Proclus, Καὶ τὸ μὲν Δεινὸν ἐκπληκτικώτατόν ἐστι, καὶ κατεσκευασμένον μάλιστα, καὶ ποιητικὸν ἔμφαινον κάλλος. Itaque Character iste esto facultatis dicendi Apex, seu prosa, seu versu; Nec enim modò à sublimitate illum separamus; varijs namque nominibus, & effectibus vnum & idem omnibus proponitur. summum scilicet, ac supremum gradum obtinens in dicendo. & quod est de felicitatis vestigio apud Lucianum in Hermotimo, non incongruè hic posset transferri. Ὅσοι δ᾽ ἂν εἰς τέλος διαμαρτυρήσωσιν, ἔστι πρὸς τὸ ἄκρον ἀφικνοῦνται, καὶ τὸ ἀπ᾽ ἐκείνου εὐδαιμονοῦσι, θαυμάσιόν τινα βίον τὸν λοιπὸν βιοῦντες, οἷον μύρμηκας ἀπὸ τοῦ ὕψους ἐπισκοποῦντες τινὰ τοὺς ἄλλους. Nota Ἄκρον, & Ὕψος, Synonymως posita, & concludamus cum Longino

lib.

lib. περὶ ὕψους. Ὡς ἀκρότης, καὶ ἐξοχή τις λόγων ἐπὶ τὰ ὕψη, καὶ ποιητῶν τε οἱ μέγιστοι, καὶ συγγραφέων, οὐκ ἄλλοθεν, ἢ ἐνθένδ' ἐποθεν ἐπρώτευσαν, καὶ ταῖς ἑαυτῶν περιέβαλλον εὐκλείαις τὸν αἰῶνα.. *Summum videlicet, & excellentissimum quid esse in tractationibus ipsam orationis granditatem: ac Poëtarum, adeoque Auctorum celebratissimos quosque hinc tantum, nec aliunde primas tulisse, & laudibus suis orbem impleuisse.*

Hærent nonnulli, An sublime dicendi genus, & Magniloquum, siue Graue, sint idem, vel differant. Nolo ea, quæ in Longino fusiùs commentatus sum, denuò repetere. ibi nostram sententiam aliorumq; vt puto, clarissimè enunciauimus. Ad nostrum institutum nihil interest, sint ne diuersa, an eadem; dummodo quod sit illud dicendi primum, ac præstantissimum genus, & quod diceret Pindarus ἄκρον ἄωτον intelligamus, cuius ope Orator hominum cætus dicendo tenet, mentes allicit, voluntates impellit, quò velit, vnde autem velit, deducit, & vt aiebat Longinus, ὕψος δέ που καιρίως ἐξενεχθὲν τάτε πράγματα δίκην σκηπτοῦ πάντα διεφόρησε, καὶ τὴν τοῦ ῥήτορος εὐθὺς ἀθρόαν ἐνεδείξατο δύναμιν. *Tempestiuè vsurpata sublimitas omnia turbinis instar disturbat, oratorisq; statim confertas, & densas vires ostentat.* Sic Socrates ex oppositionibus Protagoræ, tamquam à robusto quodam pugili percussus, offusis sibi in oculis tenebris,

 & ver-

& vertigine correptus, obstupuit. Etiam inuitos, viribus deficientibus, auditores pellit coactos; non aliter ac Demetrius Antigoni filius, ita referente Athenæo Deipnosophist. 10. cum Argos obsideret, nec milites possent ob immane pondus machinam Helepolim mœnibus admouere, duabus tubis canens, amplitudine soni exhilaratos, & incitatos milites ad muros vsque propellere coëgit. Tyrannis ea potentia, & incantatio est; non à Medea, aut Circe, non à Thessalis accepta, sed verborum, orationisq; certa forma comparata: qua, sola voce emissa, quoscunque vult homines, plorare facit, doloreq; afficit, gaudio item exhilarat; vno verbo, mutat auditorum mores, affectus, voluntatem ipsam, quam pro libidine, minimè sui compotem dirigit. Næ illa Periclea oratio, magnifica quidem, & excelsa tonabat, fulgurabat, omnia denique perturbabat, atque miscebat, Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τ̃ Ἑλλάδα. Quod de hoc nostro amplo, summoque Charactere, non de conciso, & breui, vt quidam malè sunt opinati, intelligendum.

Prolixitas, inquies, confundit ingenium: litigatores, libellorumq; dictatores verbosis adsertionibus non vtantur; Terentius in Andria, *Quin tu vno verbo dic, quod me velis*. Et admonuit Horatius, *Quidquid præcipies, esto breuis*. Ἀμετροεπὴς non probatur Homero. validissimè

illi

illi placet, Παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως. Sat benè est. quis negat? Sed illa sunt præter modum. Non magis seruat modum, qui infra rem, quàm qui supra. ille redundat immodicè, hic ieiunè, & infimè. ille excedit materiam, hic non implet: vterque peccat, hic imbecillitate, ille viribus. Gellius lib. 7. cap. 14. *Singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero; quæ earum modum, & habitum simulacris falsis ementiuntur. sic plerumque sufflati, atque tumidi fallunt pro vberibus; squallentes, & ieiunè dicti pro gracilibus, incerti, & ambigui pro mediocribus.* Proclus in Chrestomathia apud Photium. Οἱ δὲ τῶν εἰρημένων ἀποσφαλέντες εἰδῶν, ἀπὸ μὲν τοῦ Ἁδροῦ εἰς τὸ σκληρόν, καὶ ἐπηρμένον ἐξάπτεζαι, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἰσχνοῦ ὡς τὸ ταπεινόν. ἀπὸ δὲ τοῦ Μέσου εἰς τὸ ἀργόν, καὶ ἐκλελυμένον. Id vitium in grandi oratione vocauit Ὑψηλὸν Dio Chrysostomus oratione 34. & 40; Μετέωρον λόγον; Persius Satyr. 1. *Grande*; vt etiam in quinta, & alibi; quibus non orationis ideam grandem denotant, sed Vægrandem, tumidam, & falsa specie sublimitatis blandientem, & quæ abeat in fumum, & inanem μωρολογίαν. Quoties enim amplis sonis, periodis grandibus, ac longioribus, verbisq; non ex arte, sed temerè vsurpatis turget oratio, næ ὀγκώδης illa, & Orator ille φλοιώδης; neque βακχεύει, sed παίζει. Quod de Tragædis Crantor ille Solensis acutè asseuera-

uerabat apud Laertium lib. 4. ἦν δὲ καὶ δεινὸς ὀνοματοποιῆσαι, τραγῳδὸν γοῦν ἀπελέκυτον εἶπεν ἔχειν φωνὴν, καὶ φλοιοῦ μεστὴν, καί τινος ποιητοῦ, στίφους μεστοὺς εἶναι τοὺς στίχους, καὶ τὰς Θεοφράστου θέσεις ὀστρέῳ γεγράφθαι. Hos rerum tumores; & ſententiarum vaniſſimos ſtrepitus reprehendit Petronius in Satyrico; irridetq; Ariſtophanes in Ranis; cum ampullatam Aeſchyli orationem, & dithyrambica verba vocet, ῥήματα ἱπποβάμμονα, καὶ γομφοπαγῆ πινακηδὸν ἀποσπώμενα γηγενεῖ φυσήματι. Nec placet Ciceroni 3. de Oratore. *Nolo verba exiliter exanimata exire: nolo inflata; & quaſi anhelata grauiùs*. & Hieronymo ad Damaſum epiſt. 125. *Laudentur, vt volunt, & inflatis buccis ſpumantia verba trutinent; mibi ſufficit ſic loqui, vt intelligar*. Claudiano Mamerco lib. 2. cap. 8. de ſtatu animæ, *Dumq; imperitas aures puerilium verborum ſpuma conſpuunt*. Sed de his plura meis in Longinum Comment. En ergo difficultatem ſupra poſitam verbis Plinianis lib. 1. epiſt. 20. expeditam. *Si tamen detur electio, illam orationem ſimilem niuibus hibernis, ideſt crebram, aſſiduam, & largam, poſtremò diuinam, & caleſtem volo. At eſt gratior multis actio breuis. Eſt quidem ſed inertibus, quorum delicias, deſidiamq; quaſi iudicium reſpicere, ridiculum eſt. Nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatius eſt breuiter dicere, ſed omnino non dicere. Hæc eſt adbuc*

ſen-

ſententia mea, quam mutabo, ſi diſſenſeris tu; ſed planè, cur diſſentias, explices rogo. Quamuis enim cedere auctoritati tuæ debeam, rectiùs tamen arbitror in tanta re ratione quàm auctoritate ſuperari. Et hi tres ſunt inſignis orationis Characteres. ſunt & alij, ſed ab his efformati, ijque plurimi intenſione, & remiſſione inter ſe diſcrepantes.


Difficiliter tamen pura compoſitio, & ſincerus omnino character apud vllum penitus inuenitur: ſiue is proſa, ſiue carmine ſcripſerit. Sic & in elementis primis, è quibus omnia componuntur, nullum purum eſt, ſed ſingula à ſingulis quid participât, & vnumquodq; à potiori parte denominatur. Dionyſius Halicarnaſ. de admiranda vi Demoſthenis. Τρεῖς γὰρ δὴ συνθέσεως διαφορᾶς χαρακτῆρες οὗτοι οἱ γενικώτατοι. οἱ δὲ ἄλλοι παρὰ τούτους τε, καὶ ἀπὸ τούτων εἰσὶ κατεσκευασμένοι, πολλοὶ σφόδρα ὄντες ἐπιτάσει τε καὶ ἀνέσει διαφέροντες ἀλλήλων. εἰλικρινὴς μὲν οὖν ἁρμονία, καὶ ἀκέραιος χαρακτὴρ καθ' ἕνα οὐκ ἂν εὑρεθείη παρ' οὐδενί, οὔτε ἐμμέτρων, οὔτε πεζῶν ποιητῇ λόγων, οὐδὲ χρὴ μαρτύρια τοιαῦτα παρ' οὐδενὸς ἀπαιτεῖν. ὥσπερ γὰρ οὐδὲ τῶν στοιχείων τῶν πρώτων, ἐξ ὧν ἡ τοῦ παντὸς συνέστη φύσις, γῆς τε, καὶ ὕδατος, καὶ ἀέρος, καὶ πυρὸς οὐδὲν εἰλικρινές ἐστιν, ἀλλὰ πάντα μετέχει πάντων, ὀνομάζεται δὲ ἕκαστον αὐτῶν κατὰ τὸ πλεονάζον, τί θαυμαστὸν εἰ καὶ αἱ τῆς λέξεως ἁρμονίαι τρεῖς οὖσαι τὸν ἀριθμὸν οὐκ ἔχουσιν εἰλικρινῆ τὴν φύ-

σιν, οὐδ' ἀνεπίμικτον, ἀλλ' ἐκ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ συμβεβηκότων αὐταῖς ὀνόματός τε ἠξίωνται, καὶ χαρακτῆρος ἰδίου. *Tres enim sunt insignis cōpositionis Characteres, qui cæteris præstant: alij verò, qui præter hos, & ab his efformati sunt, plurimi sūt, & tum intensione, tum remissione inter se discrepant. Vna verò, & pura compositio, & sincerus omnino Character apud nullum penitus aut Poëtam, aut Oratorem inuenitur: nec de hoc testimonia ab vllo petenda sunt. Cum enim nec in elementis primis, è quibus omnia composita sunt, terra, aqua, äëre, & igne aliquid purum sit, sed singula à singulis quid participent, & vnumquodque eorum, à maiore parte denominatum sit. Quid mirum, si dictionis compositiones, quæ tres sunt numero non vnicam, & puram naturam habeant, sed ex ijs, quæ sæpiùs eis accidunt, nomen, & stylum sortiantur.* Quam elementorum similitudinem siue à Dionysio, siuè ab alio mutuatus est Herennius in Metaphysicis, qui quoniam, quod sciam, minimè vulgatus sit, & ad rem nostram explicandam maximè opportuna videntur, eius verba hìc non grauabor ascribere. Οὕτω καὶ τῶν πάντων μίαν κορυφὴν ἐπιθετέα τὸ ἡνωμένον, παμπληθῆ φύσιν, καὶ μίαν παντοφυῆ, τῶν δὲ τοιούτων οὐκ ἔστιν ὄνομα κατ' ἀλήθειαν, οὐδὲ νόημά τι τῶν διῃρημένων. ταῦτα μὲν γὰρ ἐνδιακείσει τινὶ, καὶ πάντως εἰδητικῇ, τὸ δὲ ἦν πάντῃ ἀδιάκριτον. Πότε ἂν οὖν ἐξαρκέσειεν ἡ ἀπεστενωμένη τῶν ὀνομά-

μα-

μάτων ἰδιοτροπία, καὶ τῶν κατὰ τὰ αὐτὰ νοημάτων εἰς δήλωσιν, ἢ περίληψιν, τῆς πάντα, καὶ περὶ πάντων οὔσης μιᾶς ἑνωμένης ἁπλότητος. ὅπου γε οὐδὲ τῶν διῃρημένων εἰδῶν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐσχάτων πάντων, ἢ ὄνομα ἔχομεν κοινὸν, ἢ νόημα ὁλόκληρον περιβαλλόμεθα, σχολῇ γε ἂν τοῦτο διανοηθείημεν ἐπὶ τῆς ἀκροτάτης ἅμα, καὶ παντὸς ἄκρου κορυφῆς. Τί δεῖ πολλὰ λέγειν, ὅτι οὐδὲ τῶν μερικῶν συναιρεμάτων, οὐδ' ὁτιοῦν ὀνομάζειν ἔχομεν, πλὴν ἴσως ὅτι συναίρεμα, καὶ μικτὸν, ἢ ὅσα τοιαῦτα. οἷον καὶ τὸ ἑνωμένον σῶμα ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων οὐκ ἔχει ἴδιον ὄνομα, οἷον τὸ ἡμέτερον. Τὸ μὲν γὰρ σῶμα, καὶ τῶν ἁπλῶν ἑκάστων πάρεστι. τὸ δὲ πύρειον, ἢ ἀερῶδες, καὶ τῶν ὁμοίων ἀπό τινος τῶν ἐν αὐτῷ καλεῖται ὅλον, αὐτὸ δὲ οὐκ ἔχει τὸ κοινὸν ὄνομα. κοινόν γε ὂν, ἀλλ' ἴσως ἀνθρώπειον, καὶ τὸ γενικὸν οἷον ζωϊκόν. καὶ ἀνθρωπότης μία τίς ἐστι τῶν πολλῶν ἐν τῷ μικτῷ ἰδιοτήτων. ἐπιγίνεται δὲ αὕτη τῷ μίγματι, ὥσπερ εἶδος ὕλῃ. ὥστε καθ' ἑαυτὴν ἡ ὕλη ἀνώνυμος. τὰ μὲν γὰρ στοιχεῖα ἄλλοθεν ἥκει εἰς ἄλλο, καὶ ἐν ὕλης τέταται λόγῳ. τὸ δὲ ἑνωμένον χαρακτηρίζει, καὶ συνάγει, καὶ ἀλλοιοῖ πρὸς ἑαυτὸ τὰ στοιχεῖα. καὶ μᾶλλον ὁλόκληρον εἶναι βούλεται, ἢ ὁτιοῦν τῶν στοιχείων. ἕκαστον γὰρ ἐκείνου ἐστὶ, καὶ κατὰ ταύτην ἔστηκε τὴν ἀρχήν. Ita tamen miſcentur, & temperantur, vt nullo modo ampla illa, & magnifica, ſiue grauis, cum tenui, & exili miſceatur. Aduerſantur namq; inter ſe, & repugnant, totaque regione opponuntur. Medij autem illi, & interiecti cum extremis

coniunguntur. Quare appositè Demetrius, Ὁρῶμεν γὰρ πλὴν τῶν εἰρημένων χαρακτήρων ταύτας μιγνυμένους πᾶσιν, οἷον τά Ὁμήρου τε ἔπη, καὶ τοὺς Πλάτωνος λόγους, καὶ Ξενοφῶντος, καὶ Ἡροδότου, καὶ ἄλλων πολλῶν, πολλὴν μὲν μεγαλοπρέπειαν καταμεμιγμένην ἔχοντας, πολλὴν δὲ δεινότητα, καὶ χάριν. *Videmus enim præter dictas notas, omnes misceri cum omnibus; seu Homeri carmina, & Platonis orationem, & Xenophontis, & Herodoti, & aliorum multorum, multam quidem magnificentiam permixtam habentem, multamq; grauitatem, & venustatem.* Quæ etsi vera sunt, nusquam tamen suum probat intentum, quatuor videlicet esse Characteres. Quin ex eius verbis, si rectè perpendantur, tres tantum esse, nec plures, euidenti ratione potest conuinci: non obstante quidquid in contrarium disputat Petrus Victorius. illis enim non tollit difficultatem, sed auget.



CAPVT IV.

Paucissimos in sublimi dicendi genere præstitisse: Inter Græcos Thucydidem, Platonem, Demosthenem, Pindarum, Æschylum, Sophoclem, Homerum: inter Latinos Sallustium, Ciceronem, Horatium, Virgilium. Iudicium Scaligeri de Sallustio exploditur: eius oscitantia in expositione vocis ἀδεοῦ notatur. temeritas in calumniando Platone compescitur. Item Iudicium Cæcilij de Platone, & Plutarchi de Cicerone refellitur. Francisci Floridi in Græcam nationem maledicentia fæda, obscænaque dispungitur.

GEnus itaque dicendi sublime, sicut est ordine primum, ita apud prçstantissimos Viros semper floruit, semperq; dominatum est, ab omnibus expetitum, à nonnullis degustatum, ab vno, vel altero, tanta serie temporum, inter Græcos, & Latinos, comparatum. Ardua sanè prouincia, difficilis conatus, nobilissimus fructus; vbi si quid facultatis adeptus fueris, æqualibus antepositus,

eus, maioribus, principibusq; in eo genere Viris, vis dicam, Dijs, compararis. Sed quinam hi Principes? Qui Dij? Quibus id datum à Deo, vt illam facultatem adepti tantum dignitatis sint consecuti? ἤ τίς, ἤ οὐδείς. *Nemo Hercule, Nemo, vel Duo, vel Nemo.* Accessere difficiles, morosiq; hominum animi, quibus nunquam satisfit, & quod in hoc genere est mirabiliter detestandum, iudicium, & criticorum odium, siue amor: quare veritate obruta, quid certum, quid incertum statui debeat, omnino nescimus. ex hoc variæ hinc, & illinc, nec in vnum tendentes sententiæ. Quod hic laudi, vitio vertit ille. Laus, & vituperatio non à re ipsa, sed à cuiuscunq; voluntate sumitur, quorum fœda, atque inconcinna iudicia, vel illo solo deprehenduntur; quod enim in alijs reprehendunt, magno studio, curaque sectantur, nec verentur, cum in aliorum vitijs tam acutè viderint, tam apertè, proteruèq; in proprijs lippi cæcutire. Sed de hoc iudicio nonnulla etiam infra.

Marcellinus, Plutarchus, Demetrius ferunt Thucydidem sublimem orationis formam elegisse, suo ingenio, & belli magnitudini magis conuenientem; quam ita perfecisse tradit Halicarnasseus, vt nullus illum superauerit, de vi admiranda Demosthenis, Ἡ μὲν οὖν ἐξηλλαγμένη, καὶ περιττὴ, καὶ ἐγκατάσκευος, καὶ τοῖς ἐπιθέτοις κόσμοις ἅπασι συμπεπληρωμένη λέξις, ἧς ὅρος,

καὶ κανὼν ὁ Θουκυδίδης, ὃν οὐθεὶς οὐθ' ὑπερεβάλλετο τῶν ἐπιγινομένων, οὔτε ἐμιμήσατο τοιαύτη τις ἐστί. *Talis scilicet est dicendi modus, qui à communi sermone deflectit, & multa habet superflua, & artificio Rhetorico, varioq́; ornamentorum aduentitiorum fuco plenus est, cuius Thucydides alijs, norma est, & regula, quem à posterioribus scriptoribus nemo vnquam vel superauit, vel imitatus est.* & Cicero in Oratore. *Huius tamen nemo neque verborum, neque sententiarum grauitatem imitatur; sed cùm mutila quædam, & biantia locuti sunt, quæ vel sine Magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidis,* Plures huius imitatores, sed infirmiores, quantum à summo differunt?

Inter Latinos *Sallustius æmulus Thucydidis*, ita placet Velleio lib. 2. Annuit Quintilianus lib. 10. cap. 1. *At historia non cesserit Græcis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear. nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Liuium.* consentit Iustus Lipsius, *Sallustium video Thucydidi simillimum esse, & ideò, quæ de illo dixi, dixisse hìc me puta.* Nec alia ratione, nisi quòd densus, & breuis, & semper instans, & concitatis feratur affectibus, rerum frequentia creber, sententiarum pondere grauis, atque verbis aptus, & pressus. Quòd & pridem iam alios animaduertisse comperio, Gellium lib. 3. cap. 1. *Sallustius subtilissimus breuitatis artifex.* Franciscum

ciscum Petrarcham. *Crispus Sallustius nobilis Historicus veritatis, bellum Iugurthinum, Coniurationem Catilinæ compendioso, & ad vnguem castigato stylo complexus est.* Marium Victorinum in lib. Ciceronis de Inuentione. *Historia & breuis esse debet in expositione, & aperta, & probabilis, vt Sallustius sibi omnia in Catilina tribuit.* At verò breuitas hæc propter obscuritatem, quam facit, reprehensionem meruit apud nonnullos, cautumq; est à Doctoribus vitari modis omnibus. *Asinius Pollio*, vt scribit Suetonius de Illustribus Grãmaticis in Atteio Philologo, *maximè vitauit obscuritatem Sallustij, & audaciam in translationibus.* Et Quintilianus lib.4. cap. 2. *Vitanda illa Sallustiana breuitas, & abruptum sermonis genus.*

Iulius tamen Scaliger Poët. lib.4. cap. 24. Quam ob rem Sallustio præter cæteros attributa sit ab omnibus breuitas, nondum compertum habet. *Nam qui conciones inserat, quas nullus habuerit Imperator: easq; prælongas non rarò: qui apud aras fratrum, quasi in amœno diuerticulo spatietur: qui præter historiæ argumentum, Catonis, Cæsarisq; collatione plurimos versus occupet: qui ad Catilinæ bellum narrandum principia vrbis Romæ arcessat; non video quo consilio breuem potius, quàm vel prolixum, vel etiam nimium, superuacaneumq; existimemus.* Inuehitur deinceps in recentiores, quos iniu-

rijs

rijs onerat; nec modeſtiæ modus vllus; eos vocat *barbaros*, *ſupercilio non ferendo, iudicio corruptiſſimo, Circulatores*; *Quàm verò tum leuiter, tum inſolenter, vt omnia ſolent, profeſſi ſunt, cum in hiſtorijs conſilia omiſiſſe ex vniuerſa hiſtoria manifeſtum eſt*. Quid erit furere, ſi hoc non eſt? Bacchæ bacchanti non aduerſamur, ne ex inſana fiat inſanior. concludit Salluſtianam dictionem eſſe, *amplam, adeò fuſam, vt nihil addi poſſit*. *Non ſolùm non breuem, ſed etiam opulentam*; ſtatuitq; eam eſſe breuitatem Salluſtianam, *Quia tribus vocibus integras explet ſententias*. *Non circumducit: non interponit: aſyndetis vtitur, omittit verba, quemadmodum à viris doctis obſeruatum eſt*. Sed tanri Viri ſententiam perpendamus; & fundamenta quàm firma ſint conſideremus.

Primùm eſt, ſuo tantum iudicio niti, *ab omnibus* aberrare. Quod *omnes* viderunt, ipſe ſolus non vidit. Vel omnes cæcutiunt, & ſolus videns eſt Scaliger; vel cæcutit ipſe ſolus, & *Omnes* vident. Vir tamen perſpicaciſſimus inter cæcos eſſe non patitur: dignus alio mundo, alia luce. quod iam factum; etſi ſerò. Si *compertum non eſt*, deſine reprehendere. nemo quod neſcit vituperat. Sanè id magnũ eſt, Scaligerum in cæcitate videntem, in ignoratione non hæſitantem; ſed cenſoria virgula iura dantem. Quis id audijt vnquam? quis vidit? Ho-

minem de *Nondum compertis*, verba facientem. Sed non effugit, caliditatis, falsitatis, nec non & iniuriarum suspicionem. Ea namque potissima ratio est in qualibet disputatione; non res ipsa, non veritas, sed quòd, qui dicendo determinat, Scaliger est. cætera nugę.

En rationes, *Conciones inserit, quas nullus habuit Imperator, easq; prælongas non rarò.* ὦ τρισμακάριος τοῦ διεντερεύματος. Quas in suis historijs inserit Thucydides, eas ne habuerunt Imperatores? sunt scriptorum illæ ἀγώνισμα. Thucydidis conciones, colloquia, atque aliæ eiusmodi orationes, si Halicarnasseo τοῦ κριτικωτάτου credimus, sunt non solùm rebus ipsis impedimento, sed etiam auditoribus permolestæ. &, quod peius est, in eum animaduertit, quod in eodem argumento, eodemq; tempore, quæ ad rem facerent, omiserit, quæ verò maximè aliena essent, in orationem induxerit: idque hinc, & illinc adductis exemplis manifestissimè probat. Sed ne diutiùs immoremur in claris. Ante Scaligerum Quintilianus lib.3. cap.10. in Sallustium animaduerterat. *Crispus Sallustius in bello Iugurthino, & Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principijs orsus est.* Quin concedamus præter historiæ argumentum multa intrusisse Sallustium. Thucydides item Terei meminit, & Cyclopum, & Memnonis, quæ omninò fabulosa sunt. multa ille narrat, nec ad

histo-

historiam, nec ad rem. Quin in serijs ipse iocari, & verborum circumflexis ambagibus plus satis ludere, quis, vel minimum in eo versatus, non percipit? dicet Scaliger, Quænam hæc est Sallustij defensio? Quid Thucydidis errata cōmemoras? alia tibi via ineunda est, modus alius in defendendo Sallustio. Nolo à calumnijs tuis Sallustium defendere, nolo pro illo pugnare, nolo Thucydidem accusare. veneror tantos viros. non sum oblitus modestiæ, non pudoris. nolo esse Scaliger, vt tibi reddam tua verba, hæc adnotaui. Hæc deprehenduntur in Thucydide, & tamen ille pressus, breuis, non fusus, non amplus oratione. Quis id ait? Scaliger. Scaliger? ille ipse ibidem cap. 1. Si non meminit, sui ergo oblitus hæc scripserat. en verba. *Thucydides pressus, cohærens sibi, & instans, & subiens, & breuis.* Ergo & Sallustius breuis est. Sed ipse suis verbis concludat Scaliger. *Sallustius tribus vocibus integras explet sententias, non circumducit, non interponit, asyndetis vtitur, omittit verba.* Ergo breuis est, non fusus, non amplus. Quæ aliunde petita in historiam transfert, non impediunt, quin breuis sit. Breuitas & sententia, & dictione fit. Sententia, quando res opportunas, & ad rem illicò arreptas prosequitur, καὶ ὅταν τὶς μὴ πᾶσιν, ὡς προηγουμένοις χρῆται. Dictione, quando non paraphrasticis sed rectis vtitur dictionibus. Aristides de

Oratione Politica. Βραχύτης δὲ, καὶ συντομία γίνεται, κατὰ γνώμην, κατὰ λέξιν. Κατὰ μὲν γνώμην οὕτως. ὅταν τοῖς ἀναγκαίοις εὐθὺς συμπλέκηται τῶν πραγμάτων, καὶ ὅταν τὶς μὴ πᾶσιν ὡς προηγουμένοις χρῆται. ἀλλὰ τοῖς μὲν προηγουμένοις, τοῖς δὲ μὴ οὕτω. Κατὰ λέξιν δὲ γίνεται βραχύτης, καὶ συντομία, ὅταν τὶς μὴ ταῖς παραφραστικαῖς τῶν λέξεων, ἀλλὰ ταῖς εὐθείαις χρῆται. ὅταν μὴ ἐπαγωνίζηται τῇ λέξει τὰ ἰσοδυναμοῦντα παρατιθείς. ἀλλὰ δηλώσας τὸ πρᾶγμα τῇ σημαινούσῃ λέξει, εὐθὺς ἀπαλλαγῇ, καὶ ἐν ὀλίγῳ, καὶ ὅταν τὶς μὴ φιλοτιμῆται πρὸς τὴν λέξιν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ πράγματα ἀποβλέπῃ. *Breuitas, seu compendiosa oratio fit, aut Sententia, aut Dictione: Sententia cum res necessarias, nullis alijs interiectis, statim correptas pertractat, vel non omnibus tamquam antecedentibus vtitur, sed bis quidem tamquam antecedentibus, alijs verò non ita. Dictione fit breuitas, vel compendiosa oratio, cum non paraphrasticis dictionibus, sed rectis vtitur, cum non dictione concertat, æquipollentia interserens, sed rebus voce significante indicatis, statim, vel paulò post aliò vertit orationem; & tandem cum quis non verbis ambitiosè nimis, sed rebus animum aduertit.* Nota illud μὴ πᾶσι, quasi diceret, In aliquibus contrarium fieri potest, immò debet. nec tamen id tollit, quin Auctor ille breuis sit. Auctor breuis, opus est quandoque, vt fusa, plenaq; fluat oratione; nec semper seuerio-

uerioribus illis breuitatis regulis debet illigari; Cùm vt plurimum breuitatem affectet, & consequatur, ideo breuis, non quia semper. Cui tu, cùm non attendisses, susque, deque omnia Auctorum scripta transferendo confundis; de quo inferiùs aliqua.

Admonitum item te velim, falsum esse id, quod ais, lib. 3. cap. 46. *Breuem stilum esse contrarium τῷ ἁδρῷ, idest pleno, & opulento.* Non patitur hoc Philosophiæ veritas. repugnat Aristoteli, cuius vnius Viri imaginem cum vnius imagine Virgilij in musarum tuarum sacrario veneraris: cui tu tantum, & merito defers; sed vtinam non verbis tantùm. Sat est voluisse. Voluisti ad acumem illud mentis tuæ aciem applicare, laudi id tribuendum. at sententias illius non es assecutus, imbecillitatis id vitium fuit. Sed, cùm non sis assecutus, te assecutum esse gloriari, stoliditas est: alij dicerent, audacia, imprudentia, pertinacia. Ἀδυνάτον τὰ ἐναντία ἅμα τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν, Aristotelis verba, & ex Aristotele illa Epicteti apud Arrianum lib. 2. cap. 1. τὰ δὲ ἐναντία οὐδαμῶς συνυπάρχει. At tu in eodem ponis stilum breuem, & ἁδρόν. Thucydidis stilus est ἁδρὸς, & item breuis per te, *Thucydides pressus, cohærens sibi, & instans, & subiens, breuis.* Fallit ergo Scaliger, dum breuem stilum cōtrarium facit τῷ ἁδρῷ, cū ἅμα τῷ αὐτῷ per Scaligerum ipsum ὑπάρχουσι. Præ-

terea Αδρὸν plenum; & opulentum interpretatur; quàm rectè, ipse viderit. Nos non examinamus singula; neque enim operæpretium est. Hinc vera videtur summorum hominum constans sententia, a multis annis extitisse neminem, qui tam temeraria proteruitate, atque Scaliger, in summos Viros, & Disciplinas, & Artes grassatus, ac debacchatus sit, omniaq; contra ius,fasq; adulterarit. Sit itaque in primo illo, ac summo dicendi genere, de quo sermo est, inter Græcos primus Thucydides, inter Latinos Sallustius.

Neque à laude hac reijciemus Philosophos; & si plerique eorum orationem,neque neruos, neque aculeos oratorios, neque forenses habere iudicarunt; suo namque differendi acumine, & eloquendi facultate diuina, quandoq; supra prosam orationem surgunt. Prætereo hic Aristotelis plusquam diuinam orationis vim, neruos, acumem, sententias, abundantiam, itemque suauitatem, feliciori stylo, augustioribus auibus pertractandam. Immensum ille supra humanum captum surrexit; & quæ nobis grandia,& sublimia,veluti ludicra,& humilia aspernatus, suo modo, & illo δαιμονίῳ, supra rationem humanam dilatat; explet sententias, neruisque intendit, sectaturq; suas Veneres.

Platonem ipsum, quem non pudet quandoq; hominem esse, consideremus. Ridiculus in

hoc fuit Cæcilius, qui in ſuis de Lyſia Commentarijs, amore in Lyſiam, in Platonem odio, Lyſiam in omnibus anteponit Platoni. inanes eius rationes refellit Longinus. Halicarnaſſeus neſcio qua item ratione Platoni infenſus, medium illi dicendi genus, etſi expolitum, tribuit: cuius compoſitionis optimum illum auctorem, & normam facit: ita tamen, vt in tenui, facili, ſimplici, & nulla arte prædita elocutione, eum & ſuauiſſimum, & purum, & dilucidum, & vno verbo, optimum eſſe affirmet: tunc enim, vt ipſe ait, quaſi è fragrantiſſimis pratis aura quædam ſuauis ex eo manat, & neque vocis ſonitus videtur præſeferre loquacitatem, neque ornatus inſolentiam. καὶ ὥσπερ ἀπὸ τῶν εὐωδεστάτων λειμώνων αὔρά τις ἡδεῖα ἐξ αὐτῆς φέρεται. καὶ οὔτε τὸ λιγυρὸν ἔοικεν ἐμφαίνειν λάλον, οὔτε τὸ κομψὸν θεατρικόν. Cùm verò ad præclarius dicendi genus, immenſo impetu ferri cœperit, multò eum deteriorem effici, minùs ſuauem, peiùs græcè loquentem, ſe ipſo craſſiorem, peiorem, omnemq; illi laudem præripi exiſtimat: idque exemplo ex libello, qui vel maximè in ſermone omnium verſatur, & qui à Phædro inſcriptionem accepit, deſumpto, conatur probare. Quem librum, licet enim ὡς ἐν παρέργῳ, hoc adnotare, cum maximè Dionyſius, cæteriq; ſummè laudent, Iulius Scaliger, ea eſt huius Viri, vt dicebã, in ſummos quoſque Au-

Ctores

ctores impudentia, Poët. lib. 1. cap. 2. damnat, sicut & nonnulla alia ipsius Platonis. *Respiciat ipse sese, quot ineptas, quot spurcas fabellas inserat: quas Græcanicũ scelus olentes, sententias idẽtidem inculcet. Certè Symposium, & Phædrum atque alia monstra operæpretium fuerit nũquam legisse.* Castissimam mentem, animum pientissimum, consultorem prudentissimum. Eius tamen naturam neque furca expellas; necesse est, vt oblatret, vt insolescat, vt nationem nobilissimam, etiam ipse si nolit, & cui sua omnia debet, conuitiosis verbis dilaceret. Sed scelera illa, quæ ipse benè nouit Scaliger, illi relinquamus. Verùm de hoc in Platonem Halicarnassei iudicio, deinceps differemus. Longinus, nec abs re, in summo dicendi, sublimiq; genere præstitisse Platonẽ affirmat, quod & verissimum est, firmumq; testimonio Ciceronis, & aliorum. In Oratore; *Longè omnium quicunque scripserunt, aut locuti sunt extitit, & grauitate, & vbertate princeps Plato.* &, *Itaque video visum esse nonnullis Platonis, & Democriti locutionem, & si absit à versu, tamen quod incitatiùs feratur, & clarissimis verborum luminibus vtatur, potiùs poëma putandum, quàm Comicorum poëtarum.* &, *Has rerum formas appellat ideas ille, non intelligendi solùm, sed etiam dicendi grauissimus author, & magister Plato.* & Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Philosophorum, ex-*

quibus

quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse præcipuum, siue acumine disserendi, siue eloquendi facultate diuina quadam, & Homerica? multum enim supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: vt mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. Ad Oratores.

Demosthenes, siue Platonis, siue Isæi, siue Isocratis, siue Callistrati, siue aliorum, siue etiam omnium, de hoc enim non disputo, vestigia secutus; optimus omnium, quos post se dicendi artificio superauerat, semper habitus, & existimatus est. quanam ratione, & via id fuerit assecutus, prolixè nimis Halicarnasseus sparsim in Rhetoricis, & præcipuè libello pro hac eadem re conscripto, De admiranda vi Demosthenis, declarauit. Siue enim totum, siue eius partes consideres, mirum vt excellat: & vt plurimum præ alijs valuit in summo illo, ac pręstantissimo dicendi genere, cuius & in hoc etiam admirabilis industria deprehenditur, dum in oratione, quæ modum seruare nescit, temperatissimus ipse seruat: accedit ipse ad præceps, nec cadit. Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Sequitur Oratorum ingens manus, cùm decem simul Athenis ætas vna tulerit: quorum longè princeps Demosthenes, ac penè lex orandi fuit. tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam*

ner-

neruis intenta sunt, tam nihil otiosum; is dicendi modus, vt nec quod desit in eo, nec quod redundet inuenias. Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. *Demosthenes, cuius commemorato nomine, maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur.* Plinius lib. 9. epist. 26. *Sed Demosthenes ipse, illa norma Oratoris, & regula, numquam se cobibet, & comprimit, cum dicit illa notissima?* lege exempla, quibus addit: *Sed vide quanto maior sit, qui reprehenditur ipso reprehendente, & maior ob hæc quoque; in alijs enim vis, in his granditas eius elucet.* Cicero in Oratore: *Nec grauior extitit quisquam, nec callidior, nec temperantior.* & in Bruto: *Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum desit, Demosthenem facilè dixeris. nihil autem inueniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil, vt ita dicam, subdolè, nihil versutè, quod ille non viderit: nihil subtiliter dici, nihil pressè, nihil enucleatè, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum grauitate, vel sententiarum, quo quicquam esset elatius.* & ibidem: *Sed tamen Antonius in verbis, & eligendis, neque id ipsum tam leporis causa, quàm ponderis, & collocandis; & comprehensione deuinciendis, nihil non ad rationem, & tamquam ad artem dirigebat: verùm multò magis hoc idem in sententiarum ornamentis, & conformationibus. quo genere, quia præstat omnibus*

bus Demosthenes, idcirco à doctis, Oratorum est princeps iudicatus. Ita vt eius verba portenta, non verba vocata fuerint ab Aeschine, θαύματα, non ῥήματα. Vidit hoc idem in Demosthene Scaliger Poët. lib.4.cap.1. dum Thucydidi Demosthenem comparat. *Praterea si Thucydida narrationes cum Demosthenicis compares, sanè sint ampliores. quippe historica narrationes Panegyricis similes sunt: Oratoria Demosthenis, qua in iudicijs, aut suasionibus versantur, breuiores. Carent enim succo illo, & colore, qui expetitur in historijs. Illius verò δημηγορίαι, cum Demosthenis Olynthijs, atque Philippicis collata: in eodem quidem genere, atque eiusdem affines magnitudinis sunt: dicendi tamen modus ille quidem ἀδρῷ charactere summus esse potest, Demostheni potius attribuatur.* Accutius tamen Vlpianus in Orationem Demosthenis περὶ συμμοριῶν; qui inter cætera. Τούτου δὲ παρὰ τοῖς νεωτέροις οὐκ ἂν εὕροι τις, διὰ τὸ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δεινότητος τῶν παλαιῶν μὴ ῥᾳδίως ὑποπίπτειν μιμήσει. δύο γοῦν σχήματα παραδεδώκασιν ἡμῖν κρυπτῶν λόγων, Δημοσθένης, καὶ Θουκυδίδης. οὗτοι γὰρ ἐπὶ δεινότητι τῶν ἄλλων περιλώκασι. *Huius generis apud recentiores nihil reperias, propterea quod insigne artificium veterum sub imitatione non cadit. Duas igitur figuras tradiderunt nobis occultarum orationum, Demosthenes, & Thucydides. Hi enim arte, ingenio-*

nioque cæteris præstiterunt.

Demostheni proximè inter Latinos accedit Cicero, cuius copiosissimum ingenium, vires in dicendo diuinas, acumen, splendorem, lepores quis non est admiratus? in infinita multitudine hominum, solus, quod omnibus datum est, fecit: quare Plinius Secundus lib.4.epist.8. de sua cum Cicerone æmulatione; *Sed vtinam vt Sacerdotium, idem & Consulatum, multò etiã iunior quàm ille, sum consecutus, ita senex saltem ingenium eius aliqua ex parte assequi possim. Sed nimirum, quæ sunt in manu hominum, & mihi, & multis contigerunt: illud verò vt adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est. quod dari non nisi à Dijs potest.* Plura de eo Quintilianus, & alij, quibus quantum in arte Oratoria profecerit manifestò apparet.

Quæ cum ita sint, Plutarchi iudicium de Cicerone omninò abijciendum est. Est enim in hoc Auctore aliud, & illud planè diuinum, quod admiremur, non risus solus, non dicacitas, non vana ostentatio. & ridiculi sunt, qui vt Demosthenem anteponant, Ciceroni offensi insultãt: quemadmodum & qui Ciceronem ita extollunt, vt Demostheni præferant. non vnum, sed diuersum, ac varium modum vterque sectatur, & in eodem dicendi genere ita vnus alio præstantior, ita depressior, vt neque præstans depresso sublimior, neque depressus præ-

stanti

ſtanti abiectior. Sed vterque ita ſingulari quadam excellentia vincit, & vincitur, vt neque victus vereatur, neque victor inſoleſcat. Magnum itaque eſſet in Cicerone ſeueritatem Demoſthenis pari iucunditate condire, ſummæq; grauitati tantum comitatis adiungere. Quod cùm non animaduertiſſent nonnulli, in Demoſthenem ita debacchati ſunt, vt eũ nihil præter ſordes, & quandam illuuiem rerum affirmarint. Quidam etiam impudentiùs, vt auctoritati quorumdam Græcorum de Cicerone reſponderent, in conuitia aduerſus nobiliſſimam Græcorum nationem, & auctores Græcos profuſi, omnia venena eructarunt. Conuitioſiſſimus, & malè olentiſſimus Frãciſcus Floridus, eius enim ſcripta mirum eſt, vt ſpurciſſimas fæces redoleant, cum difficile ſit, vnam vel alteram paginam percurriſſe, in qua earum non meminerit, ita illi fuere propitiæ, & ſapidiſſimæ. Scriptor dignus, qui Porcorum teratur, quando cum illis grunnit, rictibus. Hæc ſi quis demat, ſicut & cætera conuitia, charta erit penitus inanis. non enim decertatur rationibus, ſed ludibrijs, ſcommatibus, maledicentia. Quod etiam, quamuis inurbanum, ſi concederemus, nunquam tamen probis Auctoribus benè factũ iudicabitur, in vniuerſam vnius gentis nationem, præcipuè ſi ex ea profeceris, eaque in ſe multa ſummis laudibus digna contineat, maledi-

ledictis insolescere. Non immeritò igitur sua illi quisque reddet. *At tuis manibus perpetuos cruciatus, scriptis autem profundissimas tenebras dent Dij, Deæque, qui tam eleganter Ciceronem* (nos scribimus *Græcos*) *laudare noris*. Vous Deus, Dij, & ne sexus inopia perditum eas, Deæ Florido iam marcescenti sunt. In precipuis Christianę religionis dogmatibus iocatur Floridus, & peruersus oberrat. dicet, ira se commotum, dictisq; tam nugacissimis Plutarchi concitatum illa fudisse. excusatio tali viro digna. Quid Plutarcho; & vni Deo? Quid iudicio, & furori? Quid Florido, & Ciceroni? Affectus enim Deum non tollit. nec debet inuertere. Sanum iudicium non ira, non amore, sed mente, animoq; pacato gignitur. Dices, mentis excessus fuit, siue mauis delirium, neque enim existimo te scienter, prudenterq; illa enunciasse. Sat benè. Lector iudicium Floridi delirium est. censura, mentis excessus. In illo tantum ais, vbi de Deo, in cæteris non item. Quis id ait? Floridus. at delirat, & scimus iam cœpisse delirium; vbi cessarit non habemus, nisi ex te iam *Deliro* Floride; & suspecto; & qui fecisti, quod hominem exactè imperitum, & delirum decet.

Sed hisce reiectis, optimum est de Demosthenis, & Ciceronis præstantia iudicium, & summè laudanda comparatio, quam instituit

Longinus suo lib. περὶ ὕψους, cuius nuda verba hic apponam, cum pluribus meis Commentarijs illa exposuerim. Οὐ κατ' ἄλλα δέ τινα, ἢ ταῦτα, ἐμοὶ δοκεῖ φίλτατε Τερεντιανὲ, λέγω δὲ, εἰ καὶ ἡμῖν ὡς Ελλησιν ἐφεῖται τι γινώσκειν, καὶ ὁ Κικέρων τοῦ Δημοσθένους ἐν τοῖς μεγέθεσι παραλλάττει. ὁ μὲν γὰρ ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀποτόμῳ, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει. καὶ ὁ μὲν ἡμέτερος διὰ τὸ μετὰ βίας ἕκαστα, ἔτι δὲ τάχους, ῥώμης, δεινότητος, οἷον καίειν τε ἅμα, καὶ διαρπάζειν, σκηπτῷ τινι παρεικάζοιτ' ἂν, ἢ κεραυνῷ. ὁ δὲ Κικέρων, ὡς ἀμφιλαφὴς ἐμπρησμὸς οἶμαι πάντη νέμεται, καὶ ἀνειλεῖται πολὺ ἔχων, καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἄλλως ἐν αὐτῷ, καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀναξεφόμενον, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὑμεῖς ἂν ἄμεινον ἐπικρίνοιτε. *Neque alijs mihi rebus quàm his videtur, charissime Terentiane, mihi inquam, si & nobis Græcis aliqua cognitio conceditur, Cicero à Demosthene in grandi dicendi genere differre. Nam hic quidem altitudinem habet præruptam, Cicero diffusam, ac Græcus quidem, quod vi quadam singula, atque etiam cum celeritate, robore, acrimonia, velut urit simul, ac diripit, turbini cuidam comparari possit, ac fulmini. Cicero autem instar amplissimi incendij scilicet, omnia depascit, & inuoluitur: cùm multum constantis ardoris habeat, qui aliàs aliter in sese agitatur, & successionibus alitur. Verum hæc vos rectius dijudicabitis.* Nec præter rem Quintilianus Instit. lib. 10. cap. 1. *Oratores verò*

vel præcipuè latinam eloquentiam parem facere Græcæ possunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum opposuerim. Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam; cùm præsertim id non sit propositi, vt eum Demosthenì comparem hoc tempore: neque enim attinet: cum Demosthenem in primis legendum, vel ediscendum potiùs putem. Quorum ego virtutes plerasq; arbitror similes, consilium, ordinem, diuidendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique, quæ sunt inuentionis. In eloquendo est aliqua diuersitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictiùs, hic latiùs pugnat: ille acumine semper: hic frequenter, & pondere: Illi nihil detrahi potest, huic nihil adijci: curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certè, & commiseratione, qui duo plurimùm affectus valent, vincimus, & fortasse Epilogos illi mos ciuitatis abstulerit: sed nobis illa, quæ Attici mirantur, diuersa Latini sermonis ratio minùs permiserit. In Epistolis quidem, quamquam sunt vtriusq; nulla cōtentio est. Cedendum verò in hoc quidem, quod ille, & prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, &c.

Inter Poëtas Lyricos principem locum tenet Pindarus, qui & sublimitate sententiarum, & grauitate sensuum, & orationis magnifica structura, materia minimè contemnenda, sed pene diuina, facilè reliquos superauit; fuitq; ap-

primè carus post Homerum Alexandro Magno propter naturæ splendorem διὰ τὴν λαμπρότητα τῆς φύσεως, ita referente Dione Chrysostomo oratione 3. de regno. Inde eius familiæ, penatibusque parci iussit, cum Thebas caperet. Halicarnasseus in Elogijs de Græcæ linguæ Auctoribus, Ζηλωτὸς δὲ καὶ Πίνδαρος, ὀνομάτων, καὶ νοημάτων ἕνεκα, καὶ μεγαλοπρεπείας, καὶ τόνου, καὶ περιουσίας, καὶ κατασκευῆς, καὶ δυνάμεως, καὶ πικρίας μεθ' ἡδονῆς, καὶ πυκνότητος, καὶ σεμνότητος, καὶ γνωμολογίας, καὶ ἐνεργείας, καὶ σχηματισμῶν, καὶ ἠθοποιΐας, καὶ αὐξήσεως, καὶ δεινώσεως, μάλιστα δὲ τῆς εἰς σωφροσύνην, καὶ εὐσέβειαν, καὶ μεγαλοπρέπειαν ἠθῶν. *Imitandus est etiam Pindarus, cum verborum, & sententiarum caussa, tum magnificentiæ, neruorum, ubertatis, compositionis, virium, & acerbitatis cum voluptate temperatæ: tum etiam continuationis, maiestatis sententiarum, contentionis, figurarum, morum expressionis, amplificationis, exaggerationis: ac in primis eorum morum gratia, qui ad temperantiam, pietatem, amplitudinem pertinent.* Quintilianus. *Nouem verò Lyricorum longè Pindarus princeps, spiritu, magnificentijs, sententijs, figuris, beatissima rerum, verborumq; copia.* Μεγαλοφωνότατος est Athenæo lib. 13. Nobile Horatij de Pindaro, & eius sublimitate præconium, Carm. lib. 4. Od. 2.

Pindarum quisquis studet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea

 Niti-

Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore.
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces noua Dithyrambos
Verba deuoluit, numerisq; fertur
Lege solutis:
Seu Deos, Regesq; canit, Deorum
Sanguinem; per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremenda
Flamma Chimæræ.
Siue quos Elea domum reducit
Palma cœlesteis; pugilemve, equumve
Dicit, & centum potiore signis
Munera donat.
Flebili sponsæ, iuuenemve raptum
Plorat: & vires, animumq; moresque
Aureos deducit in astra, nigroq;
Inuidet Orco.
Multa Dircæum leuat aura Cygnum,
Tendit Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: Ego Apis, &c.

Angelus item Politianus.

Aërios procul in tractus, & nubila supra
Pindarus it, Dircæus olor, cui Nectare blandæ
Os tenerum libastis apes, dum fessa leuaret

Membra quietè puer, mollem ſpirantia ſomnū.

Quod etiam ipſe de ſemet optimè cognouit, & ſimilitudine Aquilæ cum Graculis, hominibus patefecit, Nemeor. od. 3. in fine;

Εστι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς
Ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
Δαφοινὸν ἄγραν ποσίν·
Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

Ex quibus Alciatus Emblem. 139.

Vt ſublime volans tenuem ſecat aëra Falco,
Vt paſcuntur humi, Graculus, Anſer, Anas.
Sic ſummū ſcandit ſuper æthera Pindarus ingens,
Sic ſcit humi tantum ſerpere Bacchilides.

Hoc tam mirum eſt, quàm verum. Multi eum ob ſententiarum maieſtatem, & verborum grāditatem, etiam hiſce noſtris temporibus æmulari conantur: ex eoq; ſe Pindaricos venditant. Sed leuiora ingenia eius ſublimitatem minimè attingunt. tanti Poëtæ virtutibus impares tantum vitia expreſſerunt, lumina confuderunt, & cùm obſcurè ſe locutos inani quadam verborum volubilitate, nec ad rem, nec ad ſententiā, metaphoris non ferenda audacia quæſitis, præſenſerint, jam ſe Pindaricam maieſtatem aſſequutos eſſe autumant, venditantq; ſe ſciolis quibuſdam, qui Pindari delicias minimè degustarunt. Hos ego perquam ſimiles dixerim Muſcis mel Hymettium non ſuſtinentibus; illæ namque natura quidem dulcia appetunt, iiſq;

delectantur; ob eximiam verò odoris fragrantiam, mel Hymettium perhorrescunt; vt pote quod ferè totum ex Thymo omnium florum apibus gratissimo collectum sit. Sic Nouatores isti, dum ad illustria illa verba, sublimiaque, suprà quàm dici potest, anhelant, prouinciæ impares, deterriti concidunt: nec aliud, nisi quod eorum stomacho aptum est, adipiscuntur, vitia videlicet Auctoris. Sed postquam semel de melle sermo incidit; Mel Ponticum Pindarus est, hi inexperti gustare tentant; sed cum gustarint expuunt, eius grauitatem non ferentes; & dum suas vires experiri volunt, propter studiũ Poëtices, quo tenentur, retrocedunt exterriti: &, vt vno verbo expediam, lusitabundi infantes lætantur generosis Catulis, qui cum sæuierint, latrarintq; seueriùs, consternantur, despondentq; auimos.

Vnus Horatius inter Latinos cum voluit, & per materiam licuit, Pindaro proximus orationem erigit, pondere sententiarum, structuraque orationis. Quintilianus lib. 10. cap. 1. *At Lyricorum idem Horatius ferè solus legi dignus. Nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis, & gratiæ, & varijs figuris, & verbis felicissimè audax.* Qua verò ratione his Quintiliani verbis colligatur Horatium, genere dicendi humili contentum fuisse; videat ipse Scaliger, qui id ait, Poët. lib. 5. cap. 7. Il-

lud verum eſt nonnullas Horatij Cantiones in præclaro illo, ſublimique genere dicendi conſcriptas; nonnullas in mediocri; quaſdam, vt etiam placet Scaligero, in humili. Quare in ijs, quibus Pindarum æmulatur, vnà illum cum Pindaro collocamus.

In Tragicis Aeſchylus, & Sophocles excellunt, Euripides humi ſerpit. De Aeſchylo Halicarnaſſ. Ὁ δ' οὖν Αἰσχύλος πρῶτος, καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐχόμενος, καὶ ἠθῶν, καὶ παθῶν τὸ πρέπον εἰδὼς, καὶ τῇ τροπικῇ, καὶ τῇ κυρίᾳ λέξει διαφερόντως κεκοσμημένος. *Aeſchylus igitur primus Orationis magnificentiæ, & amplitudini ſtuduit, & decorum tum in mitibus, tum in concitatis affectibus exprimendis ſeruauit; tum conuerſa, tum propria dictione mirum in modum ornatus.* Quintilianus. *Tragœdias primus in lucem Aeſchylus protulit, ſublimis, & grauis, & grandiloquus, ſæpe vſque ad vitium.* De Sophocle idem Halicarnaſ. Καὶ οὐχὶ τὰ γενικὰ, καὶ μεγαλοφυῆ τῶν προσώπων ἤθη, καὶ πάθη καθάπερ Σοφοκλῆς, κατώρθωσεν. εἰ δέ τι ἄσεμνον, καὶ ἄνανδρον, καὶ ταπεινὸν σφόδρα ἰδεῖν ἐστιν αὐτὸν ἠκριβωκότα. καὶ Σοφοκλῆς μὲν οὐ περιττὸς ἐν τοῖς λόγοις, ἀλλ' ἀναγκαῖος. ὁ δὲ Εὐριπίδης πολὺς ἐν ταῖς ῥητορικαῖς εἰσαγωγαῖς, καὶ ὁ μὲν ποιητικός ἐστιν ἐν τοῖς ὀνόμασι, καὶ πολλάκις ἐκ πολλοῦ τοῦ μεγέθους εἰς διάκενον κόμπον ἐκπίπτων, οἷον εἰς ἰδιωτικὴν παντάπασι ταπεινότητα κατέρχεται. ὁ δὲ Εὐριπίδης οὔτε ὑψηλός ἐστιν, οὔτε

μὴν λιτὸς, ἀλλὰ κεκραμένη τῇ λέξεως μεσότητι κέχρηται. τῶν δὲ κωμῳδῶν μιμεῖται τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἁπάσας. *Nec generosos, & præstantes personarum mores, & affectus, quemadmodum, Sophocles, feliciter expressit; contra, inhonestos, effæminatos, & abiectos videre licet eum summo studio expressisse. Et Sophocles quidem in dicendo superuacaneus, atque redundans non est, sed necessaria tantum persequitur. Euripides verò in oratorijs inductionibus frequens, ille nouorum verborum fabricator, ac sæpe numero, ex summa amplitudine in inanem sermonis ostentationem decidens, quasi omnino ad vulgarem humilitatem delabitur. Hic neque sublimis est, neque tamen submißus, sed ex vtrisq; temperata dictionis mediocritate vtitur, & ferè omnes, dicendi virtutes Comicorum imitatur.* Et Quintilianus. *Illud quidem nemo non fateatur necesse est, ijs, qui se ad agendum comparant, vtiliorem longè Euripidem fore. Namque is sermone, quo ipsum reprehendunt, quibus grauitas, & cothurnus, & sonus Sophoclis videtur esse sublimior, magis accedit oratorio generi.* De his plura effari hic supersedeo, cùm variè, multisq; modis id, vt puto, peregerim, in tractatu de Differentia Sophoclis, & Euripidis.

In Heroicis princeps est inter Græcos Homerus, inter Latinos Virgilius; qui summi à prudentibus habentur, & meritò. Soli enim

 Poë-

Poëtæ. Neque vllus, qui eos poſſet imitari, inuentus eſt. ἄκρον ἄωτον non incongruè dixeris. Homerum non veneratur, ſed adorat Lipſius, Virgilium Scaliger.

CAPVT V.

Omnia dicendi genera in ſummis Auctoribus ſparſa reperiri, rerum inæquali naturæ vt plurimum ſe accomodantibus: & hoc omnino conſiderandum, vt iudicium de illis latum rectum eſſe poſſit. Auctorum iudicandorum vera ratio, rectuſq; Iudex.

INtelligendum tamen eſſe autumo, Scriptores hoſce, in ſuperioribus eximios, & veluti aliorum primates in forma illa dicendi ſublimi, & celebri, ita Characterem illum affectaſſe, vt quandoque etiam ab alijs, dum vel modus rerum, vel materia, ratioque id expoſcebat, minimè abſtinuerint, ſed omnibus vſi, nunc quidem aſſurgentes, nunc humi repentes, nunc modeſti, & moderati, propoſitum ſibi ſubiectum pertractarint. Id & in alijs Auctoribus manifeſtò deprehenditur; etſi enim in alio genere, aliaque dicendi forma verſantur, interdum tamen attolluntur; & ef-

ferue-

feruefcunt, grandique, & alta oratione dimicant; interdum intumefcunt immodici: Rerum namque viciffitudo, nec vna firma, ac ftabilis fed inuerfa, obliquaq;, ac varia conftitutio ita poftulat. Quare nec purum vnum, fincerumque dicendi genus, alijsque immixtum, in vno fcriptore difficile, immò nunquam internofcitur: & id fi quis tentaret, abfurdus conatus omnibus videretur. Nec alio nomine Halicarnaffeus, in mixta, quam ipfe vocat, Harmonia, principes, primosq; conftituit, Homerum, & Demofthenem. De Homero idem ait Plutarchus. Επεὶ δὲ χαρακτῆρες εἰσὶ τῶν λόγων τὰ καλούμενα πλάσματα, ὧν τὸ μὲν Αδρὸν, τὸ δ'Ισχνὸν, τὸ δὲ Μέσον λέγεται, ἴδωμεν, εἰ πάντα ἐστὶ παρ' Ομήρῳ, τῶν μετ' αὐτον ποιητῶν, ἢ λογογράφων ἐπιτηδευσάντων ἓν τούτων ἑκάστου. ὧν καὶ ἔστι παραδείγματα Θουκυδίδου μὲν τὸ Αδρὸν, Λυσίου δὲ τὸ Ισχνὸν, Δημοσθένους δὲ τὸ Μέσον. *Iam cum tria fint genera Orationis, quas affectiones vocant, Grande, Tenue, ac Medium: videamus omnium ne apud Homerum, fint exempla, Nam qui eum fubfecuti funt, & Poëta, & Oratione foluta fcribentes vnum de his aliquod fectati funt: vt verbi gratia Thucydides grande, Lyfias humile, medium Demofthenes.* Quamuis exemplum pro fublimi genere allatum ex Homero à Plutarcho Scaligero non fatisfacit: aduerfus quem alibi dictum exemplum examinauimus, verifque in

Rheto-

Rhetorica fundamentis, rationibusq; ex ipsa sublimitatis, grauitatisq; natura petitis, demõstrauimus, Homericum exemplum ἀδροῦ esse generis, etiã inuito Scaligero. De Demosthene Hermogenes, qui eruditissimè formã Demosthenicæ orationis nobis tradens, eã mixtam explicauit, cap. περὶ τοῦ πολιτικοῦ λόγου. In alijs item rerũ generibus id accidit. Poëtices aliud Narratiuũ, aliud Imitatiuũ, vt Proclo placet in Chrestomathia. Rhetorices aliud Deliberatiuũ, aliud Iudiciale, aliud Demonstratiuũ. raro illa pura in Auctoribus. miscentur sæpiùs, & confunduntur. ita tamem vt in vno, & reliqua contineantur. Vide quæ habet Aristides lib. περὶ πολιτικοῦ λόγου. cap. περὶ κολάσεως: quæ sufficit hic animaduertisse, cum suprà item de hac eadem re, mixtura scilicet formarum nonnulla dixerimus.

Hinc est, quod iudicia plurimorum, eorumq; maximorum hominum falluntur, ab alijsque reprehenduntur; cum enim vnum, vel alterum locum examinandum in vno Auctore proposuissent, ex illis contemptis, de cæteris ferunt iudicium, talemq; faciunt Auctorem, qualia fuere, vel illis visa illa loca. Neque enim ex recta, vel curua vnius partis corporis constitutione, corporis totius eandem enunciabimus esse constitutionem, Neque duorum, vel trium Atheniensium moribus perspectis, iam nobis omnium Atheniensium mores innotuisse fatebimur.

bimur. Ex verbis Cnæi Pompeij colligit Halicarnaſſeus, à quo nec ipſe diſſentit, Auctores non ex rebus periculoſiſſimis, neque paucioribus, ſed ex plurimis, & ex ijs, in quibus rectum curſum tenuerunt, perpendendos eſſe. Διό μοι δοκεῖ τούτους τοὺς ἄνδρας, οὐκ ἐκ τῶν ἐπικινδυνοτάτων, οὐδὲ ἐλασσόνων, ἀλλ' ἐκ τῶν πλείστων, καὶ εὐτυχηθέντων ἐξετάζειν. Hæc tamen opinio non omnibus ſuis partibus vera eſt. Verum illud, non eſſe ex paucioribus, ſed ex plurimis perpendendos Auctores. Falſum, ex ijs, in quibus rectum curſum tenuerunt iudicandos, quaſi eorum errata, malèq; dicta, minimè eſſent reprehendenda. Monere, & obiurgare alterum, dum modeſtiæ limites non excedis; amici, & beneuoli animi eſt. Plautus in Trinum. 1. 2. verſ. 259. *Si quid ſcis me feciſſe inſcitè, aut improbè, ſi id me non accuſas, tu ipſe obiurgandus es.* Caue culpes inculpata. calumniari deſine liuor. bonis ne inuidendo, mala eſſe contendas. Leiuſcula, dubia, quaſi contemnendo ne exagites. Quid conuitijs, ac maledictis, in quibus tu iners, omnino nullus, agis? Nefas, ſcelus, immanitas eſt, aliorum dicta peruertere. cura, diligentia, pietas, eos admonere, ſi malè dixerint. Parce calumnijs, parce maledictis, odijs, affectibus. Nam

——— Bonos quod oderint mali,
Sunt mali: malos quod oderunt boni, bonos
Eſſe oportet. Voſq; ideo eſtis boni, quandoquidē

Sem-

Semper odistis malos, & lege, & legionibus
Hos fugitastis.

Prophanum vulgus, & à Musis alienum, Gratijsq; offensum ἑκὰς, ἑκὰς. literatorum corona arcet,& odit. Nisi sapiens, non potest perspicere sapientem, Aristoteles lib. 1. de Morib. ad Nicomachum, ἕκαστος κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶ κριτής, &, *de Pictore, Sculptore, Fictore, nisi Artifex, iudicare non potest*, Plinius Secundus lib. 1. Epist. 10. Id enim negotium aptiùs explicatur ab his, qui quotidiano eius vsu pollent. Apelles à sutore reprehensus, quod in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas, non ægrè tulit. Eodem postero die de crure etiam disputante indignatus denunciauit, Ne supra crepidam Sutor iudicaret: vide Plinium lib. 39. cap. 8. nonnullisq; exemplis nos admonet Valerius Maximus lib. 8. cap. 11. suæ artis vnumquemq; & actorem, & disputatorem optimum esse; in alieno enim artificio aliquid offendere, etiam summis artificibus facillimum est: nec in vna arte exercitatus in omnibus optimus esse iudex potest, sed necesse est in vna, vel in alia rudem peccare. Sic visus, similitudine colorum decipitur; tactusque cæcutit: ille etiam è bile mel esse iudicabit; hic, complicatis digitis, ex vno plures esse lapillos existimabit. Notanda tamen est de hoc sententia Ciceronis, de Orator. lib. 3. *Omnes tacito quodam sensu, sine vlla arte,*

aut

aut ratione, quæ sunt in artibus, ac rationibus, recta, & praua dijudicant. Pro Cicerone facit Halicarnasseus de Charactere Thucydidis. Ἓν ἔτι λείπεταί μοι μέρος ἀπολογίας δεόμενον, ἐπίφθονον μὲν τὸ κατηγόρημα, καὶ τοῖς πολλοῖς κεχαρισμένον, ῥᾳδίως δὲ ἐξελεγχθῆναι δυνησόμενον, ὡς οὐκ ἔστιν ὑγιές. οὐ γὰρ εἰ τῇ δυνάμει λειπόμεθα, Θουκυδίδου τε, καὶ τῶν ἄλλων ἀνδρῶν, καὶ τὸ θεωρητικὸν αὐτῶν ἀπολωλέκαμεν. οὐδὲ γὰρ τὰς Ἀπελλοῦ, καὶ Ζεύξιδος, καὶ Πρωτογένους, καὶ τῶν ἄλλων γραφέων, τῶν διωνομασμένων τέχνας, οἱ μὴ τὰς αὐτὰς ἔχοντες ἐκείνοις ἀρετάς, κρίνειν κεκώλυνται. οὐδὲ τὰ Φειδίου, καὶ Πολυκλείτου, καὶ Μύρωνος ἔργα, οἱ μὴ τηλικοῦτοι δημιουργοί. ἐῶ γὰρ λέγειν, ὅτι πολλῶν ἔργων οὐχ ἧττων τοῦ τεχνίτου κριτὴς ὁ ἰδιώτης, τῶν τε δι᾽ αἰσθήσεως ἀλόγου τοῖς πάθεσι καταλαμβανομένων, καὶ ὅτι πᾶσα τέχνη τούτων στοχάζεται τῶν κριτηρίων, καὶ ἀπὸ τούτων λαμβάνει τὴν ἀρχήν. *Superest vnum, quod à nobis refelli oporteat, inuidiosum illud quidem, & plausibile in vulgus crimen: eiusmodi tamen, quod in se nihil continere ostendi facilè possit. Non enim si ea quæ Thucydides, aliiq; viri polluerunt, ingenij vi, ac præstantia deficimur: idcirco fit, vt ea quoque, quæ illis fuit, considerandi, & iudicandi facultate careamus. Nam neque de Apellis, aut Zeuxidis, aut Protogenis, aut aliorum pictorum, qui fama claruerunt, artibus iudicare non licet ijs, quos earum artium scientia cum his ipsis minimè conferri potuisse constat:*

Ne-

Neque de Phidia, aut Polycleti, aut Myronis operibus cæteri opifices ſententiam minùs ferre potuerunt; cum ab eorum tamen laude longè diſtarent. vt illam rationem prætermittam, quod ſæpè vſu contingit, vt homo inſcius, atque idiota, ſi quid ſit iudicandum ijs in rebus, quæ ſub ſenſum cadũt, ne artifice quidem ipſo ſit inferior. huc enim omnis ars intendit, hincque iudicandi ſumit initium. Sed de recto Auctorum iudicio alibi fuſiùs. in quo illud exponemus, quæ ſcientia in iudicante neceſſariò requiratur?

Illud nunc certum, ratumq; ſit, cùm puræ dicendi formæ, ſinceræq; non ſint, ex rarò inſperſis, vel inconſultò, vel etiam data opera Auctorem totum dijudicandum non eſſe. Rara namque minùs officiunt, nec lædunt: & quod admodum rarò contingit, ait Theodorus Gaza apud Ariſt. lib. 3. de hiſt. Anim. cap. 15. (cùm in textu Græco nulla ſint hæc verba) parùm obſeruandum eſt. Adde, quæ rarò eueniunt incredibilia eſſe: ea neque legumlatores, neque Medicos ipſos curare. Hinc aurea illa iudicandi ratio, & Canon apud Artemidorum Onirocrit. lib. 1. cap. 47. *Δεῖ δὲ μὴ ἀπὸ τῶν σπανίων, ἀλλὰ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὰς κρίσεις ποιεῖσθαι.* Hæc non omninò contemnenda ſanis Viris dicta volumus, ad eorum phanaticam temeritatem compeſcendam, qui ita in Auctores inſoleſcunt, vt mirum ſit in hominibus tantam ineſſe audaciam,

ciam, tantam alterius obtrectandi sitim, tam vberem irarum, affectuumq; torrentem.

CAPVT VI.

Quid sit forma illa dicendi, quæ Græcis δείνωσις, vel, δεινότης, tantopere in Demosthene laudata. Quomodo Latinè exprimi queat. De ea, sententia Hermogenis explosa.

PRoperantem ad ipsam difficultatem remoratur nonnullorum, nescio an oscitantia, quod neutiquam affirmarim, an potiùs alios experiendi conatus. conducit tamen ad nostrum propositum vera illius enodatio: quare & de ea dubia proponemus, quibus explicatis, facilior ad difficultatem via aperietur. ea est de forma illa dicendi, quam Græci δείνωσιν, vel δεινότητα vocant. arduum sanè, nec omnibus facile negotium. Neque enim inter Auctores conuenit, quid illa sit, & postquam inueneris, nomen illud quomodo Latinè reddas aptè, non suppetat. Quidam vnum cum sublimi dicendi genere constituunt. rem eandem esse, nomine tantum differre affirmant, quæq; alij sublimi, δεινότητι hi tribuunt. Eunapius in Aedesio de Vit. Sophist. Σώπατρος δὲ ὁ παν-

πάντων δεινότερος διά τε φύσεως ὕψος, καὶ ψυχῆς μέγεθος οὐκ ἀνέχων τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν ἐπὶ τὰς βασιλικὰς αὐλὰς ἔδραμεν ὀξὺς, ὡς τὴν Κωνσταντίνου περίφασίν τε, καὶ φορὰν τυραννήσων, καὶ μεταστήσων τῷ λόγῳ, καὶ ἐς τοσοῦτον γε ἐξίκετο σοφίας, καὶ δυνάμεως, ὡς ὁ μὲν βασιλεὺς ἑαλωκεί τε ὑπ' αὐτῷ, καὶ δημοσίᾳ σύνεδρον εἶχεν εἰς τὸ δεξιὸν καθίζων τόπον, ὃ καὶ ἀκοῦσαι, καὶ ἰδεῖν ἄπιστον. *At Sopater cæteris eloquentior, natura sublimium honorum appetens, animoq; magnus, & ferox, aspernatus reliqua in turba ætatem degere, magna celeritate ad aulam imperatoriam accurrit, quasi Cõstantini propositum, atque impetum domiturus, & ratione superaturus. Certè eo existimationis, potentiæq; peruenit, vt Imperator delinitus, captusque ab homine, assessorem eum ad dextram publicè habuerit: res auditu, visuque incredibilis.* Eandem vim orationis Arrianus Epicteto tribuit lib. 1. in proëmio. εἰδὲ μὴ, ἐκεῖνο ἴστωσαν οἱ ἐντυγχάνοντες, ὅτι αὐτὰ, ὁ πότε ἔλεγεν αὐτοὺς, ἀνάγκη ἦν τοῦτο πάσχειν τὸν ἀκροώμενον αὐτῶν, ὅπερ ἐκεῖνος αὐτὸν παθεῖν ἠβούλετο. *Sin minus; at illud Lectores sciant, cum ipse eos recitaret, necesse fuisse sic affici auditorem, vt eum ipse affici volebat.* Affici enim Auditores necessariò, vt eos dicens affici vult, domare eorum impetus, superareq; sermone, & veluti Tyrannum, etiam inuitos, quò velit, attrahere, sublimis esse Orationis videtur, vt nos suprà explicauimus.

Demetrius diuerſum ab alijs characterem conſtituit, quem vocauit δεινόν: Victorius vertit Grauem; vterque male. Graue enim reſpondet σεμνῷ. δεινὸν pertinet ad ſublime, magnificumq; dicendi genus. De inconcinna Demetrij characterum diuiſione cap. 2. Quare reijcienda illa omnino.

Nec ſum ita amens, vt vim dicendi, & artem etiam Demoſthenicam, quam omnes δεινότητα appellant, memoriam eſſe contendam, etſi id affirmauit Apſines cap. de Memor. Ὁ δὲ ἐπιλανθανόμενος τῶν ἐσκεμμένων, ἰδιώτης ἄχρηστος, καὶ πάντα κληθεὶς δικαιότερον, ἢ ῥήτωρ. ὅπου γε, καὶ Δημοσθένην τῆς μνήμης ἐπιλειπούσης, ἐπιλοίπεται ἡ δύναμις τῶν λόγων, καὶ συνόλως ἡ τέχνη. τῆς γὰρ μνήμης ἐκπλαγείσης ὑπὸ τοῦ δέους πᾶσα τέχνη φροῦδος, φησὶν ὁ Θουκυδίδης. φόβος γὰρ μνήμην ἐκπλήσσει, λέγει που, καὶ ὀρθῶς λέγει. ſed de his alibi.

Aliquid certi tandem ſtatuamus. δεινὸς quidam exiſtimant fieri à δείνη nomine, quod eſt vortex, vertigo; quæ & δίνη per ſimplex, ι, interpretantur συστροφὴν, κίνησιν, κοίλωμα ὑδάτων. Quare ſi vocis proprietatẽ ſpectes ἐστραμμένον, ideſt tortuoſum, verſutum, verſatilem, & celerem ſignificat. Hinc transfertur ad varia, vt δεινὸς ſit κακὸς, πανοῦργος, κακοῦργος, malus, inſidioſus, improbus, maleficus, vafer: item terribilis; & τὰ δεινά, pericula, res aduerſæ. Item σφοδρὸς, μέγας, vehemens, magnus, non ferendus.

dus. δεινὴ ἀνάγκη, vrgens necessitas. δεινὸς ἀνὴρ, vir acer, ac vehemens. δεινὸς πράγμασι χρῆσθαι, solers in rebus gerendis. δεινὸς πρᾶξαι, efficax, ac dexter negotiorum administrator. δεινὸς πρὸς τὸ πλεονεκτῆσαι. homo callidus, iniurius, & qui suum commodum, ex aliorum incommodis parat. Præterea δεινὴ μάχη, δεινὴ νόσος, δεινὴ συμφορά, sexcentaq; alia; ita vt mirum sit, quosdam hanc significationem huic voci denegasse, cum & δεινότης habeatur pro ipsa atrocitate. Thucydides lib. 3. μὴ ὧν πεισθέντα μόνον δεινότητα καταγνόντες, & δεινότης νόμων vertatur ibidem, acerbitas legũ. Illud item notum sit, nomen hoc ad varias artes, facultates, ac habitus animi transferri. Sic legimus δεινὸν φαγεῖν apud Aristophanem, qui arte edendi pollet, pro, Edacissimus. δειναὶ πιεῖν apud Athenæum quædam mulieres, pro, Bibacissimæ, δεινοὶ κατὰ τὴν κοιλίαν οἱ πολύποδες apud Aelianũ, δεινὸς ὀρειβατεῖν apud Plutarchum; & alia non pauca. item δεινὸς ῥήτωρ, δεινότης λόγων Isacrat. sic inter Demosthenicæ orationis virtutes δείνωσις præcipuam habet admirationem. Et Vlpianus in Demosthenis Orat. περὶ συμμοριῶν, exquisitam illam, præcipuamq; δεινώσεως facultatem Demostheni, & Thucydidi tribuit, cæteris denegat. Eius verba optima sunt, maximèq; argumento conducunt; quare poteris videre.

Nulli itaque dubium esse debet, nomen hoc

δεινὸν, quidquid dicat Hermogenes, apud Poëtas, Oratoresq; terribilem, horribilem, formidabilem, truculentum, toruum, immanem, atrocem, seuerum, rigidum, plurimaq; alia significare, vt exemplis allatis videre est. Illa potissima est difficultas, quid innuere velimus, cum dicimus δεινὸς ῥήτωρ, & in quo consistat hæc Oratorum δεινότης, siue δείνωσις. Quidam explicarunt illum Oratorem nominari δεινὸν, qui in oratione sua terret, & est grandiloquus, aut vehemens, aut illa omnia simul, probantq; auctoritatibus supra adductis. quibus adijciunt illa de Vlysse dicta; vnde argumentum summatur, δεινὸν dici à Poëta Oratorem, qui est grandiloquus, & formidabilis; vt cùm dixit Iliad. γ.
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίοισιν. Erit itaque δεινός, qui sententijs abstrusis, & reconditis, περινενοημέναις, καὶ βαθείαις, & quotquot sunt propriæ grandis dicendi generis, vtetur. & hanc esse veram δεινότητος formam asseuerãt. cui quod nomen respondeat apud Latinos facilè non inueneris. Perperamq; multis vertere ausis, quid certi constituas dubium. Quidni enim videas, & *genus dicendi disertum* Gasparis Laurentij, *Grauitatem* Antonij Bonfinij, *Efficaciam* Iulij Cæsaris Scaligeri: nec non & ipsius Lulli *Calliditatem*, qui δεινότητα hanc oratoriam, lenonibus, meretricibus, parasitis cum dolo coniunctam communem facit. Vim huius

vocis ne hilum quidem attigerunt, vt cuique vel vulgatiſſimi guſtus in Rhetoricis patere poteſt. Sed de his infra.

Hanc δεινότητος expoſitionem, nempe concertationem quandam ad hominem, & manus ipſas Oratoris cum Auditoribus, totis viribus contendentis, applicantiſq; mentis aciem, ſententijs quacunque petitis, dummodo moueant, excitent, adducant, abducant, flectant, & quodammodo veluti ignis in campum aridum decidens, omnia depaſcantur, ac diſſipent, & ad vnum ſcopum dicentis omnia, vel inuita conferant, & alligent, videntur amplexi, præter eos quos reijcit Hermogenes, Quintilianus, dum illud Halicarnaſſei de Hyperide ὀυκ ἀπήλλακτο δεινότητος, vertit *acutus Hyperides*, & lib. 6. cap. 2. *Namque in hoc eloquentiæ vis eſt, vt iudicem non ad id tantum impellat, in quod ipſa rei natura deduceretur: ſed aut qui non eſt, aut maiorem, quàm eſt, faciat affectum. Hæc eſt illa, quæ δείνωσις vocatur, rebus indignis, aſperis, inuidioſis addens vim oratio, qua virtute præter alios plurimùm Demoſthenes valuit.* Et Ariſtoteles in Problem. ſect. 18. 4. dum dicit δεινότητα Oratoris in πλεονεκτεῖν, ſitam, ideoque tibicinem, hiſtrionemque non dici δεινὸν, cum delectare contendant; Oratorem vero, ac mercatorem, diuitemq; vocari δεινὸς, quod eorum conatus ad πλεονεκτεῖν, vt potiores nempe fiant

conditione, hoſtemq; ſibi ſubdant, ſuperioreſq; ſe gerant. hoc enim ſibi vult vox illa πλεονεκτεῖν. & miror ſanè Theodorum Gazam, tantum hominem, in hoc cæcutiſſe, & *acquirere* reddidiſſe. Philoſtratus, πλεονεκτοῦσι τοῦτο τῶν ἀνθρώπων οἱ Θεοί. Xenophon. παιδ. 7. ἐπλεονέκτουν μὲν οἱ Αἰγύπτιοι, καὶ πλήθει, καὶ ὅπλοις. Demoſthenes, πλεονέκτημα μέγα ὑπῆρξε Φιλίππῳ. Thucydides. 3. οὔτε μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ, ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντες. *Superiorem eſſe*, ſeu *conditione meliore*, aut *commodiore*, vt loquitur Cicero, & vno verbo, *vincere*. In Rhetoricis ipſis hoc eſſe in vſu vnus nunc ſufficiat Halicarnaſſeus, Iudicio de Lyſia. Ὁρῶ δὲ τὸν ῥήτορα πᾶσι κεχρημένον, οἷς τέχναι τε παραγγέλλουσι, καὶ τὰ πράγματα βούλεται. τοτὲ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἐπαίνου λέγων αὐτὸς ἄρχεται, τοτὲ δὲ ἀπὸ τῆς διαβολῆς τοῦ ἀντιδίκου. εἰ δὲ τύχοι αὐτὸς προδιαβληθεὶς τὰς αἰτίας πρῶτον ἀπολύεται τὰς καθ' ἑαυτοῦ, τοτὲ δὲ τοὺς δικαστὰς ἐπαινῶν, καὶ θεραπεύων, οἰκείους ἑαυτῷ τε, καὶ τῷ πράγματι καθίστησι, τοτὲ δὲ τὴν ἀσθένειαν τὴν ἰδίαν, καὶ τὴν πλεονεξίαν τὴν τοῦ ἀντιδίκου, καὶ τὸ μὴ περὶ τῶν ἴσων ἀμφοτέροις εἶναι τὸν ἀγῶνα ἀποδείκνυσιν. *Video autem hunc omnia artis præcepta obſeruaſſe, quodque res ſeruari ipſa poſtulat. Interdum enim exordiendo ſuas laudes commemorat, interdum aduerſarium traducit. Si verò priùs calumnia illi irrogata eſt, accuſationes in ſe prolatas primùm diluit, ac refellit, interdum iudices laudando,*

& ſe

& se insinuando sibi, ipsisq; causæ reddit beneuolos; interdum propriam imbecillitatem, & aduersarij potentiam, nec de paribus rebus se contendere declarat. En vt aduersarij potentiam ac πλεονεξίαν explicauit, non de paribus rebus esse contentionem, sed illum nempe esse melioris conditionis. Habemus itaque ex Aristotele, illum dici Oratorem δεινὸν, qui suis artibus ita se gerit, vt superior, potiorisq; commoditatis, quàm sit hostis ipse, euadat. Huius fuisse opinionis & Aristidem libel. de Oratione ciuili, inde colligi potest, cùm hanc formam orationis tantùm per sententiam astrui, compararíq; affirmat. de quo inferius etiam dicemus. Et Aristoteles 6. Ethic. ait: Facultatem illam, qua possumus cognoscere, quæ agere debemus, dici δεινότητα. Hanc verò talem esse, vt ea, quæ ad propositum semel scopum tendunt, possimus agere, atque consequi. quodsi honestus est scopus, laudanda quoque est illa; sin improbus, versutiam vocari. διὸ καὶ τοὺς φρονίμους δεινοὺς, καὶ πανούργους φαμὲν εἶναι.

Hermogeni, qui in hoc ab omnibus alijs videtur secessisse, δεινότης est omnium formarum orationis, tum ijs oppositorum, ac reliquorum omnium, quibus corpus orationis constituitur, vsus rectus, ac genuinus. nam & scire, & posse vti, vt par est, & opportunè alio, atque alio modo omnibus dicendi generibus; & refutandi,

confirmandiq; rationibus omnibus, & sententijs præparantibus, astruentibus, & concludentibus, denique adhibere aptè, tempestiuè, conuenienterq; ea omnia, quæ apta nata sunt ad orationis corpus efficiendum; hæc Hermogeni videtur δεινότης. quemadmodum δεινὸς, solers dicitur is, qui rectè, & opportunè rebus vtitur in ijs, quæ se offerunt, quæ sunt velut materia artis suæ. & Dux exercitus dicitur δεινὸς, qui nouit adhibere, vt par est, quæcumque pertinent ad artem militarem, quæ sunt materia, circa quam versatur Dux exercitus. Ita Orator δεινὸς, & eloquens is est, qui argumentum, & materiam artis oratoriæ tractat, vt par est. Addit Hermogenes plura alia, etsi præter rem, ad astruendam hanc sententiam. quibus, ne tempus teramus, omissis, dicimus hanc opinionem nullo modo posse subsistere. & in hoc Hermogenem, vti nouitatis affectatorem, reijciendũ. Quæ contrarium demonstrant, clarissimæ sunt rationes; ita vt hæc in ætate illa senili, quando eum memoria, iudiciumq; destituerat, fatuitasq; ipsa ludicrum sibi fouebat, concinnasse, fateri non dubitem.

Et primò nota hominis inconstantiam, statuerat sibi lib. primo de Formis, seu Characteribus dicendi differere, quos in septem diuiserat, Perspicuitatem, Magnitudinem, Pulchritudinem, Concitatum sermonem, Moratam

ora-

orationem, Synceram, & de qua nunc agimus Δεινότητα. Harum quasdam esse per se, & ex se consistere: alias habere sub se quasdam alias formas subiectas, per quas fierent. alias communicare inter se partes, aut partem. & denique has esse genera Formarum, illas tamquam differentias; esseq; nonnullas, quæ manerent inter se, nulloq; alio indigerent. determinauit, diuisit, exposuit, de omnibus vti formis separatis adinuicem egit. percurrantur eius libri. nunc, cùm rei posceret argumentũ, de hac Forma δεινότητος tamquam ab alijs segregata agere, illiusq; nomine explicato methodum tradere, confusis omnibus, non agit de ea veluti de aliquo genere speciali orationis, sed veluti de aliqua facultate, & vi communi omnibus partibus Orationis, omnibus ipsis formis, & quasi esset aptitudo quædam, illius esse dicit muneris, quantum opus est, & sicut oportet, decernere, coaptareq; in oratione. de Forma autem illa, quam vocat δεινότητα, & ab alijs distinctam, ne verbum quidem. Itaque illi non insulsè posset attribui illud Xanthiæ apud Aristophanem in Ranis toties inculcatum, περὶ ἐμοῦ δὲ οὐδεὶς λόγος. Certè nobilissima Orationis idea, præstantissima vis, in qua sola, vires Oratoris tamquã in Theatro, vel victrices coronantur, vel victas prosequuntur admiratione spectatores, mentisque acies sideris instar lucet, non erat silentio

præ-

prætereunda. At edito de hac Forma singulari libello abundè egit. nugæ. præter rem illa tractatio, præterq; locum. quæ ibi tradit, ad facultatem quandam superiorem pertinent, quæ in alijs formis pertractata, dirigat, rebusq; ipsis accommodet. Sat illi, si edicat, etiamsi aliquis vtatur, modis, tractandique rationibus, quę habeant granditatem, quæ sint decoræ, vehementes, splendidæ, aut asperæ, aut floridæ, aut etiam, quæ repleant orationem, si tamen non fuerint adhibitæ opportunè, & vbi opus est, apparebit quidem oratio δεινὴ, sed tamen re vera non erit talis. Nihil itaque, si Hermogenem sequamur, δεινότης hæc erit præter opportunum præceptorum artis vsum. Hæc erit μέθοδος, non Idea. Ita, si Grauitatem ἀμέθόδως instituas, si Pulchritudinem orationis, si Morem, ruent omnia. Suus cuique tribuendus modus, ratio, locus. nemini non conpetit hoc præceptum.

Meliùs, aptiùsq; de hac re statuit Halicarnasseus libello de proprietatibus Thucydidis, vbi enumerat capita omnia, ac fontes eruendæ huius Formæ. Ait, sublimitatem, elegantiam, grauitatem, magnificentiam, τόνον, atque βάρος, quæ Latinè neruorum cõtentionem, & pondus possemus appellare, atque πάθος, quo animi affectiones excitantur; spiritus magnos, & certaminibus aptos, esse virtutes quasdam, splen-

dores

dores, ac seminarium, exquibus illa dicendi species conformatur, quę Gręcè δεινότης dicitur. Ὕψος λέγω, καὶ καλλιρρημοσύνην, καὶ σεμνολογίαν, καὶ μεγαλοπρέπειαν, οὐδὲ δὴ τόνον, οὐδὲ βάρος, οὐδὲ πάθος διεγείροντα τοῦ νοῦ, οὐδὲ τὸ ἐρρωμένον, καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα, ἐξ ὧν ἡ καλουμένη λέγεται δεινότης. Hanc esse eam vim, efficaciam, robur, vehementiam, acrimoniam orationis, quam inquirimus, certo certius est. immo & ex ipso Hermogene conuincitur, qui huius quatuor enumerat species, vnam quidem ait vere esse δεινήν, atq; item apparere; aliam verò, quæ vera talis est, sed non apparet; tertiam, quæ non est verè talis, & tamen videtur esse; vltimam, quæ neque est, neque videtur esse. vulgata omnia; nec ad rem, communiaq; reliquis formis. illa porro quid vanius? quid futilius? *Quæ non est, nec videtur esse talis.* frustra igitur ea cæteris speciebus connumeratur.

Sed demus hæc vera esse. minimè tamen in eo audiendus est Hermogenes, vbi harum specierum methodum, & inuentionem tradit. Huic enim facultati primo modo sumptæ tribuit, & sententiam, & figuras, & dictionem, quibus nullus locus, cùm ex eodem Hermogene tota eius vis in disponendo, si ita sit, vbi opus fuerit, ea, quæ ad rem facere videbuntur, in qua re nullæ sunt efformandæ sententiæ, nullæ construendæ figurę, nullæ dictionez adaptandæ, sed

adinuentæ per alias dicendi formas, quando,& vbi opus fuerit, collocandæ. Immò, si,vt ipse asserit, voces graues, asperæ, vehementes, ac omnino tropicæ essent quoque huius generis propter vim significandi,cum rem aliquam euidenter ostendunt assumptæ, vt par est; iam habemus esse peculiares voces huius Formæ, iam non in eo tantùm, vt aptè collocet, versatur. Ergo iam, & sententiæ, & figuræ, methodusq; mihi paranda, quæ excitet, & efformet hanc facultatem. Falsò ergo inculcas facultatem hanc in sola materia artis oratoriæ pertractanda consistere; ineptèq; confundis Ideam, & Methodum. Multò rectiùs, ac perspicaciùs Aristides, vim huius intuens, statuit hanc non posse parari nisi tantùm sententijs, discrepantesq; vt errones meritò damnat, δεινότης δὲ γίνεται κατὰ γνώμην μοναχῶς, εἰ δέ τις καὶ τ'ἄλλο τὶ οἴεται πλεῖστον διαμαρτάνει. Quæ præterea subdit ipse Hermogenes de alijs duabus speciebus, quarum vnam ait consistere solùm in methodo, non autem in sententijs; aliam in dictionibus asperis, vehementibus, elegantibus, comptis, ac magnificis; earumq; rationes; hæc omnia, ne hic certamen cum tanto Viro inisse videar, silentio duxi prætereunda: Fient enim ex se cuicunque obuia; mihi hæc tantùm monuisse Lectorem sufficiat.

Dicamus itaque hanc Ideam, etsi vt cæteræ

non reperitur pura,ſed mixta, & pro argumenti ratione temperata, eſſe formam per ſe ipſam diſtinctam ab alijs; quæ non conſiſtit in apta oratoriæ materiæ collocatione, ſed in exquiſitis tantùm, profundis, vehementibusq; ſententijs, quibus Orator ita in aduerſarium fidenter irruit, & gladiatorio more, efficaci ſtylo confodit, vt aſſequatur,quod intendebat, potioriſq; euadat conditionis. Quam facultatem cum vno verbo explicare non poſſimus,liceat omnibus his,quo ad fieri poteſt,eius naturam interpretari: vocetur itaque,vehementia, robur, efficacia, vis, acrimonia, ſolertia, impetus, violentia,qua Orator Auditores etiam inuitos,nec vllo modo id opinantes, flectit, & ſuperat,impellendo,quò vult. idque faciliùs obtinebit, ſi ſententias longè petitas ad ſuum vſum accommodabit, ſententiæ Ariſtidis non immemor, δεινότητα eſſe, ὅταν τις πόρρωθεν χρήσιμόν τι ἑαυτῷ προσδιοικῆται. Tela enim minus opinata, neque præuiſa magis nocent, & διανοίαις longe petitis, atque accommodatis audientis animus diuerberatur, concutitur, & in certum lapſum haud dubiè rapitur.

C A-

CAPVT VII.

Paucos in ſublimi genere valuiſſe, propter rei difficultatem, viriumq; humanarum imbecillitatem. Ideo non omnes ad omnia idoneos. Accedit legentium iudicium moroſum, peruerſum, & præcipuè Vulgi. Hinc multi præſtantiores, ab inertioribus victi ſunt.

BEatum illum, cui fata dederunt, vt ſpretis alijs minutioribus, genus illud dicendi altum, & ſublime affectando adipiſcatur, arduum negotium κατὰ γνώμην, καὶ δύναμιν τοῦ Θεοῦ μόνον πρὸς ἀνθρώπους ἀφικνεῖται. Ideoq; arduum, quia præclarum, Cicero Tuſcul. queſt. lib. 3. in fine, *Magnum opus, & difficile: quis negat? quia autem præclarum, non item arduum?* Multi aſpirant, multi currunt, nemo non audax iam ſe ad faſtigium illud perueniſſe exiſtimat: verùm vni conceſſum, vel paucis, quos æquus amauit Iuppiter. Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι. Eorum deſideria, & conatus laudo; præſumptionem de ſe æquè vitupero. Quis ita mente æger, qui non capiat? quis oculis ita captus, qui non videat? In minimis operibus ad ſummum peruenire, auctore Dione

in Me-

in Melancoma secundo difficile est. Χαλεπὸν μὲν οὖν, καὶ τοῦ ἐλαχίστου ἔργου ἐπ' ἄκρον ἐλθεῖν. Quid in maximo, difficillimoq; erit? Illa ipsa Natura, rerum omnium formatrix, vt quidam dixit, nihil ex omni parte perfectum expoliuit; semper tamquam cæteris non sit habitura, quod largiatur, si vni cuncta concesserit. quare aliud alijs commodi, aliquo adiuncto incommodo numerauit. ò miseram rerum humanarum conditionem! Ipsa etiam nolens multoties aberrat à scopo, & quod illa tamquam omnibus suis partibus absolutum gremio fouebat, in horrendum monstrum excreuit, exposuitq; se hominum oculis. Quid naturam accusas? ineptissime. quid illam mordis, venenosus? Nos nos tanto muneri impares in potioribus deficimus; cùm non omnes ad omnia idonei simus, ἐπεὶ δὲ οὐ πάντες πρὸς πάντα πεφύκαμεν, Theon in Progymnasm. Quare aliqui in affectibus grauioribus nihil, plurimum in leuioribus valuere: contra aliqui in his parum, in illis plurimum. & qui in neutris, disertam tamen, meliùsq; elaboratam elocutionem habuere: & vna, & eadem materia variè, diuersèq; ab vno, vel ab alio tractata. Homerus Iliad. δ.

Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε Θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν, καὶ ἀοιδήν,
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τίθει νόον εὐρύοπα Ζεὺς

Ἐσθλὸν

Εσθλὸν, τῶ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι.
Et Odyssea θ.

Οὕτως ἐν πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
Ανδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτ' ἀγορητύν.
Αλλος μὲν γὰρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνὴρ
Αλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσιν στέφει. Et Iliad. ψ.
———— οὐδ' ἄρα πῶς ἦν
Εν πάντεσσιν ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

Et alibi. Αλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν. Et alius nescio quis, Οὐδ' Ασκληπιάδαις τοῦτό γ' ἔδωκε θεός. Fieri enim omninò non potest, vt vnus vniuersam beatitudinem sit consecutus, Horat. lib. 2. od. 16. *Nihil est ab omni parte beatum.* Quod videtur mutuatus ex illo Græcorum senario, Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ. Quem inter sententias recenset Aristoteles lib. Rhetor. 2. Eiusdem sententiæ fuit & Theognis.

Οὐδείς τοι πάντ' ἐστὶ πανόλβιος, ἀλλ' ὁ μὲν ἐσθλὸς
Τολμᾷ ἔχων τὸ κακὸν, κοὐκ ἐπίδηλον ὅμως.
Δειλὸς δ' οὔτε κακοῖσιν ἐπίσταται, οὔτ' ἀγαθοῖσιν
Θυμὸν ἔχων μίμνειν. Talis est illa Demonasses Cypriorum Reginæ, & legum latricis apud Dionem in sepulchro inscriptio. Σοφὴ μὲν ἤμην, ἀλλὰ πάντ' ἐκ δυστυχής. Hûc etiam pertinere videtur illud Pindari Pyth. 4. Πόνων δ' οὔτις ἀπόκληρός ἐστιν, οὔτ' ἔσεται. & Nem. 7. Τυχεῖν δ' ἐν ἀδύνατον εὐδαιμονίαν ἅπασαν ἀνελόμενον. οὐκ ἔχω εἰπεῖν τίνι, τοῦτο μοῖρα τέλος ἔμπεδον ὤρεξεν. & Plaut. in Mercatore.

Dic mihi, an boni quid vsquam est, quod quisquam vti posset
Sine malo omni, aut ne laborem capies, cum illo vti voles.
Ego bonum, malum cui accedit, haud mihi dari desidero.

Constantinus Manasses in Chronologia.

Οὕτως οὐδὲν ἀκέραιον ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει,
Οὐδὲν τῆς λώβης ἀμμιγὲς τῶν ἀποπτωμάτων.

Sic naturæ lege comparatum est, vt excellentes quamuis sint Viri, suis etiam eloquentiæ finibus terminentur; & ingenia in vna, vel alia re feliciſſimè aſſurgentia, destituentur in alia. Virgilius Carmine felix, soluta Oratione Cicero; hic carminibus pangendis ineptus; ille prosa, tandem deprehensi sunt.

Adde hominum difficilium, ac morosorum fastidia, qui optima quæque respuunt, ac damnant; quibus nihil satisfacit. Item auidorum gloriæ simultates; quos ideò habes iratos, quòd nimis videaris benè omnia gerere. Hinc nunquam omnibus omnia placent: nec studio videntur digna omnibus omnia. Aelianus de hist. anim. lib. 1. in procem. Οὐ γὰρ πάντα πᾶσι καλά, οὐδὲ ἄξια δοκεῖ σπουδάζειν πᾶσι πάντα. Hæc in paruis, & mediocribus; quid in magnis, & arduis? minùs. Solon apud Plutarchum,

Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν.

Doles, & deploras calamitatem tuam, quòd om-

omnibus non ſatisfacis, ò homuncio? non placeas? O lepidum caput! ἆζερ οὐκ ἐχέθυμον. Deus item id idē ſibi denegaſſe videbitur Ethnico, ea eſt humani ingenij ſtoliditas: haud enim ſiue cœlo pluuio, ſiue ſereno nobis ſatisfacit. elegantiſſimi ſunt de hac re Theocriti verſus.

Miſerrima omnium eorum conditio eſt, qui ſua populo oſtentant, & coram tam inepto Iudice ad dicendum accinguntur: is eo iniquior, quo inſcitior; iucundiſſima ſibi tantùm laudat, aſpernatur, quę nō intelligit. Quis vna, eademq; oratione, tam diſſimilibus iudicijs ſatisfaceret? ſi ridiculus acceſſeris, actum eſt de te; tamquam ſcurra eijceris: tetricus, & vultuoſus Auditoribus, ſuſpectus es. in fluctuante populo difficile eſt ſeruare modum. Quis, dummodo non ſit peſſimè affectus, Populi non deridet iudicia? Quare nil mirum, ſi præſtantiores ab inertioribus victi ſunt. Aeſchines in Macedonia plurimùm valuit; apud Macedonas, (quos Viros?) & verborum copia, & artis oratorię pręſtantia, Demoſthene ipſo illuſtrior iudicatus eſt. Parrhaſius, Sami à Telamonis filio, ſibi longe impari, bis victus condoluit. Pindarus quinquies à Corinna apud Thebas ſuperatus, iudicem ipſam Corinnam appellauit, non ferens Auditorum inſcitiam: ij namque, ſi quid artificioſum præſtitiſſet, non collaudaſſent. Hippomachus pugil ad diſcipulum ſuum inter canen-

nendum aberrantem, baculo percutiens dixit. κακῶς ηὔλησας, οὐ γὰρ ἂν οὕτοι σε ἐπῄνουν, innuens multitudinis iudicium esse inconstans, & fatuum. Socratem Athenienses occiderunt, pœnas sumentes, quòd nudis pedibus incederet. Aristidem eiecerunt patria, quòd iustus esset. Bioni videbatur fieri non posse; vt quis multis placeret, nisi Placenta fieret, aut Thasium. Quod nec verum esse, inde patet. Hic enim eam contemneret vt frigidam, alius vt calidam, ille minus dulcem. Etiamsi fieres omnia non placebis. Ad rem itaque Firmicus aiebat, *Fortis ab ignauo superatur; bonũ prosternit inferior; iusto iustitia non prodest; cautos prouidentia sæpe decepit; pudicis, & sobrijs, impudicus, & dissolutus in honoris petitione prælatus est: Iacent strenui, vincunt timidi, laudantur improbi, probi deridentur; & quidquid huic profuit, illud incauta imitatione decepit. Superiori ætate Ericus xiiij Suetiæ Rex Fratrem Ioannem, Ducem Finlandiæ, captum in carcerem coniecit, qui elapsis paucis annis postea liberatus, Fratre rursus carceri incluso, regnum adeptus est: ita vt qui modò Rex, postea captiuus, & qui paulò ante captiuus fuerat, mox regno vicissim potitus sit. Iulius Cæsar subitò Romanum Imperium subegit; Pompeium, Rempublicam Romanam defendentem, fortuna deseruit. Cato sapiens seipsum interfecit. Quidam per hinnitum equi ad*

regnum peruenit. Et ante eum Theognis. Πολλάκι τοι νικᾷ, καὶ κακὸς ἄνδρ᾽ ἀγαθόν. exempla ex historia sunt in promptu. Porrò, quanti iudicium Populi faciendum, elegantissimè expressit Porphyrius lib. I. de Abstinentia ab esu Carnium. Εἰ δὲ πολλοὶ μὴ τοιοῦτοι, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. οὐδὲ γὰρ φιλίας, καὶ εὐνοίας πιστόν τι, καὶ διαμόνιμον ἐν τοῖς πολλοῖς. οὐδὲ δεκτικοὶ τούτων, οὐδὲ σοφίας, οὐδὲ τῶν ἀξιόλογόν τι ἐχόντων σοφίας μορίων. οὔτε τοῦ συμφέροντος, οὔτε τοῦ ἰδίου, οὐδὲ τοῦ κοινοῦ συνετὸς ὁ πολὺς, οὔτε ἐθῶν φαύλων, καὶ ἀστείων κρίσιν ποιεῖσθαι δυνάμενος. πρός τε τούτοις πολὺ τὸ ἀσελγὲς, καὶ ἀκρασίας γέμον ἐν τοῖς πολλοῖς. διὸ, οὔτε φοβητέον, μήτε ἐκλίπωσιν οἱ βεβρωσόμενοι τὰ ζῶα. πάντων μὲν γὰρ φρονησάντων τὰ ἄριστα οὐδεμία χρεία ὀρνιθευτικῆς. *Quod si Populus talis non est, nihil nostra intererit. in multitudine enim, neque amicitiæ, neque beneuolentiæ aliquid firmum, & stabile est, quorum ipsa est incapax, sicuti & sapientiæ, & illius partium, quæ dignæ consideratione sunt. Simili modo, neque publicam, neque priuatam commoditatem plebs percipit; neque mores prauos à ciuilibus potis est discernere. Quinimmò in ea plurimùm & libido, & intemperantia abundat. Quapropter timendum non est, ne illi deficiant, qui animaniia comedant. Si probè enim omnes se, resque suas & rationi, & consilio dederint, nulla sanè erit aucupij necessitas.*

C A-

CAPVT VIII.

Miseram Artium, ac Doctrinarum conditionem, omnium reprehensionibus obnoxiam. Præcipuæ in optimos, ac veteres Auctores accusationes breuiter annumerantur. Subduntur non nulla de ijsdem Scaligeri, & aliorum iudicia, & criminationes.

INsolescunt vlteriùs malè feriati homines, conuitijs, maledictisq; in optimos quosq; debacchantur: nullus iniuriarum modus, impudentiæ finis nullus. Miseras Doctrinas, atque Artes! Nullus post homines natos inuentus est, in quo non sit aliquid, quod ipsi non reprehenderint, nō obelisco notarint. Nullus vnquam, vel numeris omnibus absolutus, vel consummatus Vir existimatus est, in quo non aliquid animaduerterint. Auctor non satisfacit. esto. causas addis, acuti ingenij est. carpis illius scripta, durum. Maledictis oneras, non parcis vitæ, non parcis moribus; & ne conuitiorum copia deficiat, etiam πολιτείαν examinas, laceras, peruersum. Fingis etiam nonnulla, quæ nusquam sunt; in aliam, prauamq; sententiam detorques, vt possis accusare, vt

dentes exerceas, quis ferat? Non deest tamen, & quod peius, non deerit in Republica literaria flagitiosissimum hoc, vanissimumq; hominum genus. Vidit Calumniatorum contumeliosum ingenium, iniquumq; iudicium Socrates ille apud Xenophontem, cùm diceret. Nullum opus est, in quo non accusentur homines. difficile namque est, ita quicquam peragere, vt nihil erres. Quodsi etiam sine errore quispiam aliquid peragat, difficile est non iniquum iudicem reperire. nam & in illis, quæ nũc operari te dicis, miror profectò, si sine accusatione agas. Itaque conari contentiosos, ac querulos fugere, mites verò, vel candidos sectari. Liceat, liceat mihi, ita exorare. Vtinam scirem aliquem Nomum, vel iustam Cantionem, prudentem, ac temperatum, humanumq; reddere animum valentem, nec solùm ad iram excitantem, sed etiam ad pacem, & concordiam, Deiq; honorem, ac hominum curam: quæ si haberemus, & Lyncei ipsorum oculi hebescerent, & linguam pestilentem, veneficamq; frustatim commorsam expuerent, hominumq; res optimè gestæ non malè notarentur. Quid hic commemorem eorum tractatus, qui de vno, vel altero Auctore disquirere, negligentes ipsas Disciplinas, virtutesq; aduersati sunt, & voluminibus ingentibus nugas, atque deliramenta ediderunt in publicum? & tamen in omnium manibus sunt,

&le-

& leguntur, & Principes id vident,audiunt,experiuntur, nec prouident. Quantùm autem malum hoc in Republica propagatum sit, & creuerit facillimo negotio deprehēdi potest, si, quæ singulis Auctoribus à criminatoribus istis obiecta sunt, breuiter describamus, omissis ijs, quæ in se pondus habere non videntur. Potiora ergo narrabimus, siue vera, siue falsa; nec enim est præsentis negotij in illis diutiùs immorari.

Apud *Homerum*, vt ab eo principium ducam, in quem omnium nationum ingenia se exercuerunt, & qui scopus omnibus fuit, in quem maledicentium tela directa,Fastidio sunt tot versus in plurimis locis repetiti. Indignum esse, aiunt,tanto Viro, quòd equos Achillis lacrymas effundere facit. Ineptissimum, Automedōtem blandis interdum verbis demulcere, interdum asperis comminari: absurdissimum, viles personas à fortitudine, & genere commendare: ridiculum, Iouem ipsum equorum Achillis lacrymis permoueri: insidiatam fuisse Iunonem Ioui: Martem stupratorem, & adulterum: Deos sibi ipsos resistere, & se inuicem superare; eosdemq; ab hominibus lædi: Achillem Thetidis, & Pelei filium, adeo fingit circa voluptates intemperantem, & pusillum animo; vt, cùm ablata esset ab ipso Briseis, flere cæperit, nigrum respiciens mare,& Matrem in-

uocare, quasi id ab aliquo æqualium passus esset; ipsique aduenienti lacrymarum causam exponere, & velle ab ea Iouem orari, vt ipse Troianis fauens maximis cladibus Græcos afficeret. Quid? quot fabulæ apud eum, tot ineptiæ. Hieronymus Vida, vt tradit Viues De tradendis disciplinis lib.3. tamquam superuacaneum, & redundantem Homerum incessit: luxuriantem in narrando, & admiscentem superflua. Nec dubitat Virgilium illi, & cæteros Latinorum anteferre, velut astrictiores, & sanctiores, cùm Græci omnes vitio illi sint obnoxij, vt Homerum secuti nimij sint, atque etiam nonnunquam subputidi. Nec placent ei descriptiones medio prælio curruum, & in iurgio Thersitæ. quamquam hoc posteriùs ad vim potest referri, & exemplum, vt videat Lector cuiusmodi Vir Heroibus tacentibus, Regi maledixerit. Damnat etiam humiles similitudines, & sordidas interdum, vt milites muscis assimilari in multra: Aiacem Asino, qui nescit è pastu discedere abactus fustibus. Ad hæc parum conuenire, tam otiosè Diomedem, & Glaucum media pugna esse collocutos. Epitheta non decere esse vbique eadem, vt quæ solùm videantur ad comissuram numeri quæsita, non ad vim, aut gratiam. *Hesiodum* nonnulli in accommodatione regionum cœlestibus climatibus errasse asseruerunt; apud quem si non

vitio, saltim fastidio est tam frequens eorundem Epithetorum repetitio. Deos oriri facit, & interire. *Lycophron* Græcis barbara miscet vocabula, omnia inuertit in fabulis, & historijs. *Apollonius Rhodius* rudis, & impolitus à multis habitus est; flumina, ac loca confundit; in Oeconomia poëmatis, peritis non satisfacit. *Theognis* in suis præceptis purus non est. De *Arato* Quintilianus, *Arati materia motu caret, vt in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, totusq; in nominibus absumitur*. Alij dixerunt *Aratum*, quemadmodum & *Nicandrum* ea scripsisse, quorum ipsi ignarissimi fuerunt. *Callimachum* Ouidius negat valuisse ingenio, quamuis valuerit arte. *Aristophanes* obscurus præter licentiam Comicam; vocabulis quibusdam inauditis, insipidis, atque asperis vtitur. Plutarchus in Epitome comparationis illius cũ Menandro, ait, eum popularibus, & imperitis arridere, doctis verò displicere. non seruat personarum decorem. *Oppianus* aliquando Bodino videtur obscurior, quam vt à quouis intelligi facilè possit. *Nonnus* Petro Cunæo oratione æstuat, & furit, præter rem, alieno tempore, ac loco: mimum instruit, & Tragædias quasdam excitat, quibus nihil iam deest præter scenam; & histrionem: importunè mente lymphata incalescit, & vanas species fingit, ac somnia quædam sua narrat, portentosa illa nimis, & quæ

nemo audire, neque cognoſcere laborat: nihil tandem in eo cernas, niſi bacchationem, & Corybātiaſmum, ita vt inſanire apud ſanos, & quaſi inter ſobrios eſſe vinolentus videatur. Vide Danielis Heinſij diſſertationem de Nonni Dionyſiacis, & eiuſdem Paraphraſi.

Herodotus adeò fabuloſus eſt, vt nugari videatur, qui pro eo facit Apologiam. Et Photius adnotauit, Κέχρηται δὲ μυθολογίαις, καὶ παρεκβάσεσι πολλαῖς, δι' ὧν αὐτῷ ἡ κατὰ διάνοιαν γλυκύτης διαρρεῖ, εἰ καὶ πρὸς τὴν τῆς ἱστορίας κατάληψιν, καὶ τὸν οἰκεῖον αὐτῆς, καὶ κατάλληλον τύπον, ἐνίοτε ταῦτα ἐπισκοτεῖ, οὐκ ἐθελούσης τῆς ἀληθείας μύθοις αὐτῆς ἀμαυροῦσθαι τὴν ἀκρίβειαν, οὐδὲ πλέον τοῦ προσήκοντος ἀποπλανᾶσθαι ταῖς παρεκβάσεσιν. *Fabulas adhibet, crebrasq; digreſsiones, per quæ ſenſus ipſi, atque ſententiæ dulcedo fluit, quamquam, pro Hiſtoriæ modo, proprioq; ipſius, & conueniente charactere, hæc ipſa interdum obſcuritatem pariant, recuſante veritate fabulis ſuam obfuſcari accurationem: aut plus æquo à re propoſita ſcriptorem digredi.* Et ante Photium Marcellinus, Ὅπου γε καὶ παρ' Ἡροδότῳ, καὶ ὁ Δελφίς ἐστιν ὁ φιλήκοος, καὶ Ἀρίων ὁ κυβερνώμενος μουσικῇ, καὶ ὅλως ἡ δευτέρα τῶν ἱστοριῶν τὴν ὑπόθεσιν ψεύδεται. *Thucydides* Oratori eſt magis quàm Hiſtorico ſimilis: nonnunquam nec enarratorem quidem, nedum hiſtoricum refert; pene puſillus ideò Ciceroni dictus, & obſcurus iudicatus.

Ha-

Halicarnaſſeo quoque reprehenſus multis nominibus; & quòd priuſquam cœpta perfecerit ad alia digreditur, illa numquam poſtea reſumens. impropriè ſæpè locutus, Hiſtoriam ſuam ordine peruerſo diſpoſuit; in nouanda phraſi audax, in dicendo ineptus. lege Halicarnaſſei Libellos de hac re editos. Illius conciſum, atque obſcurum, tortuoſumq; dicendi genus, eo carmine inſectatus eſt Ioannes Tzetzes.

Ἔδει μὲν εἰς γόργυραν, ὦ Θουκυδίδη,
Τοὺς ἀττικοὺς ῥίψαντι σὺν τῇ βιβλίῳ,
Οὐκ ὀστρακίζειν θρακικοῖς δὲ τοῖς ὅροις.
Οὐχ ἱστορῶν φαίνῃ γὰρ, ἃ προὔβη πάλαι,
Κρύπτων δὲ μᾶλλον, ἃ παρῆξεν ὁ χρόνος,
Τῷ σῷ σκοτεινῷ, καὶ ξυλώδει τοῦ λόγου.
Ἐγὼ γὰρ αὐτὸς, ὅσπερ ἔγραφον τάδε,
Τζέτζης κατειδὼς ἱστορίας πόσους βίβλους,
Πράξεις τε πάσας, ἃς τὰ νῦν αὐτὸς γράφεις,
Ὥσπερ διοβλὴς καὶ κατεβροντημένος,
Τοῖς οἷς ἔγραψας λοξοστρόφοις λόγοις,
Μνήμης ἁπασῶν ἐστερήθην ἀθρόως.
Τίγ᾽ ἄντις ἄλλος τὴν ἀνιστόρον πάθοι;
Τῶν ἱστορούντων τεχνικὸν λόγον νόει,
Σαφῆ μετ᾽ ὄγκου, πειστικὸν, γλυκὺν ἅμα,
Καὶ γοργὸν οὐ χρὴ, πῇ δὲ καὶ μῆκος φέρειν.

Xenophon depreſſa oratione vtitur, multaq; perperam narrat. *Theophraſti*, & *Heraclidæ Pontici* Procœmia Proclus non probauit lib. 1. in fine Commentariorũ in Parmenidem Platonis.

Τὸ δὲ παντελῶς ἀλλότρια τὰ προοίμια τῶν ἐπομένων εἶναι, καθάπερ τὰ τῶν Ἡρακλείδου τοῦ Ποντικοῦ, καὶ Θεοφράστου διαλόγων πᾶσαν ἀνιᾷ κρίσεως μετέχουσαν ἀκοήν. *Diodorus Siculus* ob ineptam Operis ſui inſcriptionē à Plinio deluditur. eius dicendi genere nihil magis vulgare dici poteſt. Quod in *Theopompo* ipſe, idem in eo coarguitur. Cùm vniuerſitatis hiſtoriam ſcribere propoſuiſſet, totus eſt tamen in hiſtoria Græcorū. In ratione Faſtorum,& Olympiadum ſæpiſſimè labitur. *Halicarnaſſei* prolixitas, cui tædio non eſt? *Laertius* omnia confundit, alijsq; tribuit, quod aliorum eſt. Caſaubonus dicit, in vita Solonis eum confuſiſſimè omnia propoſuiſſe; nulla prorſus aut temporis, aut ordinis, quo quæq; geſta eſſent, ratione habita. in canonibus Epicuri magis, quam in doctrina Ariſtotelis fuiſſe verſatum. Hic, dum ex alijs ſcriptoribus ſuam adornat hiſtoriam, ita pleraque præcidit multis locis, quaſi eam Oedipi lecturi ſint, non Daui.

Hiſtoriæ, quam texit *Ioſephus Iudæus*, magnam partem confictam aſſerit Iuſtus Tiberienſis; eaq; potiſſimùm, quæ Romanorum aduerſus Iudæos bellum, & Hieroſolymorum excidium perſequitur. *Theophylactus Simocatus*, vt adnotauit Photius, figuratis vocibus,& allegoricis ſenſibus putidè nimis, ac frequenter ad ſatietatem vſus,in frigiditatem quandam,& iu-

ueni-

ueniles ineptias dilabitur. Verumtamen & ſententiarum illa interiectio minùs opportuna, diligentiam arguit & curioſam, & ſuperuacaneam. *Achillis Tatij* obſcæniſſimi, ac nimis impuri ſenſus, cum ſcriptoris ſententiam in omni re ſeria eleuant, tum legere volentibus abominandam, fugiendamq; reddunt lectionem. *Eunapij* dictio pulchra eſt, ſiquis iſta exceperit, Ἀλεκτρυονῶδες, καὶ ἐλαφωδέστερον, καὶ συωδέστερον, καὶ δὴ καὶ τοὺς ἱερακώδεις, καὶ κορακώδεις, καὶ πιθηκώδεις, καὶ τὸ ποταμῶδες δάκρυον, & id genus alia. His enim, alijsq; vocibus generoſum dicendi genus corrumpit, atque adeò adulterat. Tropos ad hæc præter modum adhibet, quod Hiſtoriȩ lex vetat. *Dio Chryſoſtomus*, dum longiùs ſententiȩ redditionem producit, digreſſionibusq; vt plurimùm orationem intertexit, nō parùm à iucunditatis gratia deflectit: quamquam hæc non pro vitij indicio haberi forſitan poſſint. At, quòd exordia, aut quæ exordiorum inſtar ſunt, longiſſimè producat, id iam palam facit, & eum nequaquam familiarium congreſſibus accommodatam dicendi formam pro ciuili, & hiſtoria vſurpare, & maius quaſi caput, quàm reliquum ſit orationis corpus, effingere. *Choricij Sophiſtæ*, cuius nonnulla nos tibi præparamus, voces non ſemper genuinum illæ ſuum ſeruant vſum. Interdum enim ob nudam figurarum deflexionem in frigidam incidit dictio-

dictionem;& eſt vbi ad poëticum potiùs ſtylum delabitur:ſine vlla cauſa,cùm minimè decet,fabulas, hiſtoriasq; Gentilium ſcriptis ſuis admiſcet. *Nicomachi Geraſeni* de Arithmetica libros, ne ratiocinationes vanas, perditiq; otij occupationem eſſe dicam,longè à titulo ſuo recedunt: neque enim ea continent,quæ numeris ſuapte natura inſunt; vtilemq; habent contemplationem; ſed ea plurimùm,quæ noxij ſunt ingenij figmenta. *Hieroclis* dictio fucatis, & ſuperuacaneis coloribus, aut benè dicendi varietate non exornatur. *Ioannis Philoponi* compoſitio, neque elegantia, neque attica phraſi nitet. *Libanius* multo elaborandi ſtudio, nimiaque opera, natiuam ſermonis, atque extemporaneam, vt quis diceret, gratiam, & leporem maculauit, & fucando fuſcauit; dum multa per parentheſes inſitas obſcurat; quædam etiam adimendo, quæ exponere neceſſarium erat, tenebris obducit. Illius dictionem in declamatorio genere vocauit Eunapius Sardianus de vitis Sophiſtarum, languidam, exanimem, & emortuam. Ἀσθενῆ, καὶ τεθνηκότα, καὶ ἄπνουν.

Apud *Demoſthenem* tædio ſunt prolixæ nimis comprehenſiones, quas περιόδους Græci vocant,quæ vno ſpiritu pronunciari nequeunt. in eo numeros orationis aures adimplentes Tullius deſiderat. Eius verba quædam, & nimis humilis quandoque oratio reprehenſa. Periti

artis

artis Rhetoricæ morosum fuisse Oratorem ferunt, qui fessos Auditores iocis, & salibus numquam recreauit. *Plato* Philosophi munera non exequitur, malè siquidem diuidit, definit pessimè. Is, & *Xenophon*, neuter mentionem vsquã de altero facit, sed obliquè potiùs alter alterum perstringit. Eius, quæ pro Socrate scripta est Oratio, nec patrono, nec reo digna est habita. De eo hæc Halicarnass. epist. ad Cnæum Pompeiũ. *Cum autem ad loquacitatem, & præclariùs dicendi genus, quod sæpenumero facere solet, immenso impetu ferri cæpit, multò se deterior efficitur, Nam & minùs suauis, & peiùs Gracè loqui, & crassior videtur esse quàm altera. dilucidítatem enim obscurat, & tenebris similem facit: longitudinem attrahit, mentem in longiùs ducens, cum eam paucis nominibus contrahi oporteret; in circumlocutiones honestatis expertes effunditur, & diuitias orationis vanas ostentat: verbis proprijs, & quæ sunt in cõmuni vsu posita neglectis, nouata, & peregrina, atque ea, quæ antiquitatem decent, inquirit. Maximè autem iactatur in figurata elocutione; multa enim, & frequens est in nominibus ad nomen appositis, in appellationibus dandis inepta. Dura est, nec seruat proportionem in translationibus. Inuersiones longè petitas, & multas, ac eas, quæ neque modũ seruant, neque loci, & occasionis rationem habent, assumit. Figuris poëticis, quæ summam*

satietatem afferunt, & maximè Gorgianis, intempestiuè, ac nimis pueriliter gloriatur, in quibus magnificentiã quandam seruat; quemadmodum quodam in loco Demetrius Phalereus ait, & alij multi; non enim à me hæc est profecta oratio. *Isocrates* in compositione adeò diligens, vt cura eius reprehendatur, affectatè coniungit nomina, musicum quendam concentũ captans, & figuras adhibet tumidas: vnde sæpè friget, vel quia figuras illas longiùs accersit; vel quia rebus non satis congruenter miscet, vel quia modum excedit. quare vitio illi datum, quòd in compositione esset exactior, & fortè superstitiosior: nec minùs est Protogenes reprehensus, qui manum de tabula ponere numquam posset. *Euclides* indigestus est, & incompositus. *Archimedes*, etsi Plutarcho valde facilis est, methodo tamen, & tota dicendi via perobscurus videtur alicui; qui item sæpè *Euclidi*, & *Theoni* Aristarchi grammaticam optauit; sæpè Geometras Cratylo comparauit; vt enim Philosophus ille digitis, sic geometræ radijs potiùs, & literis, quam verbis loquendum putauerunt. ita Mathematicis Grammatica inuenta est, quæ non aures auditu, & sonis, sed oculos visu, & pigmentis instituerer. Sic Archestratus ait apud Athenæum, *Pythagoricos* tacuisse inopia verborum. *Luciani*, & *Philostrati* epistolas inanes esse, & leuiculos habere sensus, tradit Ludoui-

cus

cus Viues. ſicuti Philoſtrati picturatiores, quàm decet ſermonis genus epiſtolicum. *Procopium* alij, Græci ſermonis puritatem, aut neſciſſe, aut neglexiſſe.

Quid de *Ariſtotele*, à quo ornatæ, & illuſtratæ Doctrinæ omnes? An liuorem,& cenſorum muſſitationes effugit? minùs. De eius Dialectica hæc ille. *Ariſtotelis Logica multis & virtutibus carebat, & vitijs abundabat: multæ definitiones, multæ partitiones argumentorum deſuerant: pro vna inuentionis arte decem locis generalibus, cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, comparationibus, nominibus, partibus, finitionibus, teſtimonijs comprehenſa, infinitæ tenebræ in prædicabilibus, prædicamentis, enunciationibus, abundantia propoſitionum, inuentione medij, duobus analyticis poſterioribus, topicis octo confundebantur: in ſimplicibus ſyllogiſmis non pauciores aggregabantur, de coniunctis nil præcipiebatur, de methodo omninò tacebatur, vſus artis vniuerſæ nullus niſi in clamoſa de artis ipſius tam vanis præceptis, & Sophiſtica altercatione tradebatur: nos arti virtutes, quæ deerant, addidimus. vitia tam varia deteximus, &, vt ſpero, excidimus: vſum rerum aperuimus, & rerum omnium communem demonſtrauimus.* Plura in Ariſtotelem habes apud Athenæum lib.8. & alios, quos vide.

Sed dices, forſan hæc apud Græcos, gentis

illius vitio, grassata; Latinos Auctores, quorum ingenium mitius, etsi seueriùs iudicium non attigit, immaniori, vt ita dicam, scelere satis culta illa Scriptorum prata peruagata, omnes, nemine excepto, censorio veneno infecit. *Catonis* Origines, Orationesq; duræ illæ quidem, sed vehementes legebantur. *Ciceronis Priores*, vt refert Tacitus, siue Quintilianus de Oratoribus, *Orationes non carent vitijs antiquitatis, lentus est in principijs, longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tardè commouetur, rarò incalescit: pauci sensus optimè, & cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis: & velut in rudi ædificio firmus sanè paries, & duraturus, sed non satis expolitus, & splendens.* Quintilianus lib. 12. cap. 10. *At M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species præstantem, sed in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimum. Quem tamen, & suorum homines temporum incessere audebant, vt tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac penè, quod procul absit, viro molliorem.* Quinimmò à Caluo, & Bruto priscis Oratoribus malè audiuit; ab illo tamquam solutus, & eneruis, ab isto tamquam fractus, atque elumbis. Risu digna Ciceronis poëmata videtur pronuntiasse Martialis Epigram.
lib. 2.

lib.2. & Iuuenalis ſatyra 10. Nugas Rami in Ciceronem prætereo. Et hæc dicta ſunt in M. Tullium, in eloquentiæ fontem.

Salluſtium audacem verborum Architectum Doletus appellauit. *Nouatorem verborum* Gellius lib.1. cap.15. & lib.4. cap. 15. *Salluſtij nouandi ſtudium cum multa prorſus inuidia fuit: multiq; non mediocri ingenio Viri conati ſunt reprehendere pleraq; & obtrectare.* Aſinius Pollio librum ſcripſit, in quo Salluſtij ſcripta reprehendit, vt nimia verborum affectatione oblita. quare ipſe vitabat eius obſcuritatem, & audaciam in tranſlationibus, ita referente Suetonio lib. de Claris Grammat. qui item ſcribit, *Lenæus Pompeij Magni libertus Salluſtium ſolertiſſima Satyra lacerauit, Laſtaurum, & Lurconem, & Nebulonem, Popinonemq, appellans, & vita, ſcriptisq; monſtruoſum. Præterea priſcorũ, Catoniſq; verborum ineruditiſſimum furem.* Ab indecentibus, & ad hiſtoriam nihil pertinentibus principijs orſus eſt. Vſurpat quædam non ita vſitata apud Latinos vocabula. Eius ſermonis genus abruptum: quare vitandum, ſicut, & eius breuitatem, hortatur Quintilianus. Epigramma, quo inceſſitur eſt apud eũdem lib.8.cap.3.

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Criſpe Iugurthinæ conditor Hiſtoriæ.

In *Liuio* Patauinitatẽ deprehendit Aſinius Pollio. Eum damnauit Trogus, auctore Iuſtino, ob

conciones directas Operi insertas,quibus historiæ modū excedit: quod & in Sallustio damnauerat. Reprehenditur item ab Augustino,quòd portenta, prodigia, & Deorum apparitiones superstitiosiùs recensuerit. Lipsius illum alibi supinum, aut frigidū,immò & ταυτολόγον agnoscit. *Iulij Cæsaris* suspectam veritatem reddere conatus est Asinius Pollio, auctore Suetonio. In stylo Cæsaris sunt,quæ culpat Lipsius, sine eius tamen culpa. nam malam aliquam, & alienam manum accessisse satis illi liquet. *Mæcenatis* Epistolas affectationis damnat Seneca Philosophus Epistola 93. ad Lucilium; & Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 4. *Lucius Florus* breuitate sua se implicat potiùs, quàm explicat. *Iustinus* vsurpat nonnulla minùs latina. De *Velleio Paterculo* Lipsius, *Illic cum Tiberij, suiq; æui res tractat, declinauit fateor, & neglexit,quæ historiæ pes, & caput est veritatis. Per adulationē multa celat, immò & palā aliter narrat*. *Cornelius Celsus* Græca penè omnia parùm feliciter vertit. Alciatus historiā *Taciti* senticeta vocauit, Epist. quam ad Iouium scripsit: Budęus acerbè scriptorem omnium sceleratissimum appellauit; Tertullianus mendacissimum; Osorius adulatorem: Et Bonamicus, *Falsum ego quidem appello Cornelium Tacitum, quòd diuerticula quædam ad differendum plùs æquo quærat, sectetturq; nimium vmbras, verisq; similia, quæ*

re ipsa

re ipsa vera non sunt: quo nihil est ab historia magis alienum. *Plinius* fasciculariam facere insimulatur. cuncta olfacere, nihil degustare; omnia glutire, nihil decoquere. à seipso diffidet. De eo hæc Claudius Verderius, *Si omnes Plinij lapsus annumerare instituerem, maius volumen conscripturum me profiteri audeo eo, quod in eum Nicolaus Leonicenus edidit: Errorum enim est Plinius immensus Oceanus; qui cum dum ago, mihi cum Lernæa Hydra res est, cui, quot obtrunco capita, totidem supullulant.* Nicolaus Leonicenus, Thomas Linacer, & alij queruntur ignoratione Græcitatis multa esse à Plinio perperam à Græcis ad nos traducta. In *Fabio Quintiliano* Hispanitatem inuenit Franciscus Philelphus. *Boëtium* Valla docuit Latinè loqui. *Seneca Annæus* incultus, atque inelegans meritò notatur à Criticis, vt asserit Crinitus de honesta discipl. lib. 1. cap. 16. Seuerum de eo Quintiliani iudicium lib. 10. cap. 1. *In philosophia parùm diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multæ in eo, claræq; sententiæ, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitijs. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam, si aliqua contempsisset, si parùm concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententijs non fregisset: consensu potiùs eru-*

ditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Aulus quoque Gellius Noct. Attic. lib. 12. cap. 2. De *Annæo Seneca partim existimant, vt de scriptore minimè vtili: cuius libros attingere, nullum pretium operæ sit; quòd oratio eius vulgaris videatur, & protrita; res, atque sententiæ aut inepto, inaniq; impetu sint, aut leui, & quasi dicaci argutia: eruditio autem vernacula, & plebeia, nihilq; ex veterum scriptis habens, neque gratiæ, neque dignitatis. Alij verò elegantiæ quidem in verbis parùm esse non inficias eunt; sed & rerum, quas dicat, scientiam, doctrinamq; ei non deesse dicunt: & in vitijs morum obiurgandis, seueritatem, grauitatemq; non inuenustam*. Franciscus Floridus in Linguæ Latinæ Calumniatores. *Ego sanè licet, quid sentirem proferre minimè constituissem, hoc tamen addam pro tempore, plùs elegantiæ, doctrinæ, leporisq; habere Q. Ennij de Cethego versus, quàm omnia, quæ à Seneca scripta sunt, cuius ingeniũ, loquentiamq; indicant Epistolæ morales, maximè dignæ non quæ à pueris, aut ab alio hominum genere legantur, sed quæ vnctæ mittantur Ilerdam. Nec sunt his meliores cæteræ eius lucubrationes, nihil aliud, quàm cacata charta triuialibus sententijs, verborumq; monstris plena, de qua plura dicant, quibus hoc argumentum arriserit. Nobis hæc obiter dixisse satis fuerit; atque hoc etiam subiungere, Caium Caligulam, licet in alijs*

nihil

nihil Principe dignum vnquam gesserit, de Seneca rectè iudicasse, cùm eum commißiones meras componere, & arenam sine calce esse diceret. Et Claudius Verderius, *Seneca, quem prædicant Philosophum, nihil mihi videtur minùs quàm Philosophus. Quæ in ipso elegantia est? Tot illæ suæ sententiæ pulchræ quidem, si rem spectes, sed tam inconcinnè repetitæ, vt vno versu ter eandem rem dicere videatur, tantaq; illarum multitudo filum orationis abscindens, non potest non esse tædio legentibus. Sano eum fuisse consilio ex eius operibus cuique licet colligere, sed modicæ literaturæ, eruditionisq;. mores siquidem hominum informare volens, nullis Philosophiæ fundamentis innititur, sola naturæ bonitate duce loquitur. Legentes delectat præterquàm dum repetit, vt iam dixi: prodest interdum pauca legentibus, totum voluentibus obruit memoriam: nec ineptè calci arena carenti conferri solet. Non modò Philosophum non sapit, sed veræ philosophiæ aduersatur.* Senecæ Epistolas volumina esse de Philosophia, scribit Viues. *Suetonius* figuris, Græcisq; vocibus cupidiùs, atque insolenter vsus est. Leuissima quæq; persequitur, & fœdissimas Principum libidines nimis studiosè consectatur. *Macrobius* ex alienis scriptis multa maiori studio quàm iudicio transtulit: nec fatetur per quem Auctorem profecerit. multa enim in Saturnalibus referuntur è Gellianis noctibus.

Homo ingenio maximè ingrato, ac prope impudenti, vt qui in tanto æris alieni cumulo nusquam creditoris nomen profiteatur. Rhemius Palæmo *M. Varronem* pro imperito homine sectatus est, eundemq; etiam Porcum appellauit. *Plinius*, *Gellius*, *Politianus*, *Hermolaus*, *Rhodiginus*, & similes, duces, atq; obscuræ orationis artifices sunt, si Scotto credimns. Si alijs, *Ammianus Marcellinus* à re proposita longiùs, ac sæpiùs digreditur: quo tamen vitio summi quoque Viri laborant: idque in ipso Cicerone Posidonius grauiter notauit.

Poëtæ etiam suos habuerunt Censores. *Næuium*, *Plautum*, *Cæcilium*, *Pacuuium*, *Accium*, *Lucilium*, pluresq; alios legendos, non imitandos. *Ennium* ingenio quidem maximum Naso prędicat, arte tamen rudem. *Fato igitur quodam*, ait Andreas Scottus Tull. Quæst. lib. 1. cap. 13. *naturæq; beneficio accidisse quis non iniuria opinetur, rancidos illos, & horridos Scriptores ætatem ferre non potuisse, neque ad posteros transmissos: vt absque priscis Grammaticis esset, Prisciano, Carisio, Pompeio, & Marcello, vix nomina eorum ad nostram ætatem peruenissent*. Et Horatius lib. 2. Epist. 1.

Si veteres ita miratur, laudatq; Poëtas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quædam nimis antiquè, si pleraque durè
Dicere credat eos, ignauè multa fatetur,

Et

Et sapit,& mecum facit,& Ioue iudicat æquo.
Marcum Pacuuium duriorem alicubi, ac prope horridum iudicarunt,& vomere non canere. *M. Attilius* in Tragædijs se duriorem præstitit, ob eamq; rationem à Licinio scriptor ferreus vocatus est, vt testatur Cicero, quo loco de Electra eius fabula meminit in libris de finibus. *Cinnæ* poëmata visa sunt nonnullis implicita,& perobscura. *Furius Antias* suo reprehensore non caruit. *Iulius Montanus*, quòd in suo carmine parùm prudenter quædam repeteret. *Cornelius Gallus* durior à Quintiliano existimatur. Horatius Flaccus *Q. Attæ* fabulas notat, indignasq; reputat, vt à Romanis ciuibus tanto studio, atque attentione audirentur. Auctor est Seneca de *Sextilio Hæna*, fuisse illum magis ingeniosum, quàm eruditum, & in suo carmine peregrinum quiddam, & inæquale retinuisse. *Catullus* à quibusdam tamquam duriusculus notatur. *Lucretij* inuocatio pessima; in rebus ipsis non sibi constat; nonnulla habet minùs Latina. De eo Fabius ait, *φϱάσιν* non facere, hoc est, vt ipse interpretatur, *Eloquentiæ corpus*. *Statius Cæcilius*, malus Latinitatis auctor accusatur, quòd in vertendis à Menandro fabulis parùm aptè, & concinnè quædam transtulerit. *Accij Labeonis* Iliadem Persius notauit ceu imperitum Opus, & insaniæ plenum. Horatius *Lucilium* ait fluere lutulenter,& esse aliquid, quod

tolle-

tollere possis. Sulpitius Apollinaris,& Gellius tradunt, *Laberium* in suis fabulis quædam posuisse paulò duriora, & minùs Latina, & ob id à quibusdam criticis in ordinem coactum. *Tibulli* Elegi ex operibus Callimachi subducti. *Iuuenalis* in Satyra petulantior. *Persius* obscurus. *Martialis* parasitus, obscenus, & scurrilis. Martialis omnia non vsquequaq; placuere, vt tradit Scottus, *obscena, & scurræ potiùs iocularia, quàm sapientis hominis dicteria. In quo quidem & acumen Epigrammati proprium multi plus æquo fortaße admirantur; Latinitatem certè aureo sæculo inferiorem, qui raras habent aures facile obseruant. Sanè Andreas Nauagerius*, Iouius Auctor est,& Famianus Strada in Prolusionibus, *Valerio Martiali acriter infensus, solemne iam habebat in illum aliquando petulantiùs iocari. Etenim natali suo accitis ad geniale epulum amicis, postquam prolixè de Poëticæ laudibus super mensam disputauerat, ostensurum se aiebat à cœna, quo tandem modo laudari Poësim deceret. Mox efferri iubebat Martialis volumen, hæc erat mensæ appendix, atque igni propior factus, illustri conflagratione absumendum flammis imponebat: addebatq; eo incendio litare se Musis, Manibusq; Virgilij, cuius imitatorem, cultoremque præstare se meliùs haud posset, quàm si vilia Poëtarum capita per vndas insecutus, ac flammas perpetuò perdidisset. Plautus* verbis obsoletis

vbi-

vbique vtitur; seque, suosque sales plebi accommodat, quorum alij leues, alij scurriles, alij obsceni sunt. Nonnullis sordet allium, & hircum olet. de eo hæc habet Henricus Stephanus dissertatione de Plauti latinitate. *Alij enim propter antiqui sermonis consuetudinem, cui assueti non sint, ab eius lectione abhorrent, perinde acsi omnia illic quodam vetustatis obducta situ forent, & loquentem Euandri Matrem audituri essent. alij mendis omnia scatere causantur; nec desunt, quos Horatij de Plauti numeris, & salibus sententia alieniores ab eius lectione reddat: & ita quidem, vt nullum ipsorum iudicio locum relinquat, sed potiùs tantum Scriptorem, tamquam præiudicio quodam indicta causa damnare cogat.* Notum est de eodem Flacci iudicium, sententiam laudantium improbantis. *Terentius* in inueniendis argumentis parùm felix, à Menandro, & alijs suas fabulas mutuatus est. Multa ἀνακόλουθα, & σολοικοφανῆ ex *Terentio, Plauto, Cicerone, Homero, Sallustio,* & alijs congerit Muretus Epist. quadam ad Cardanetum. & apud Quintilianum, Terentius maiorem gratiam habuisset, si intra trimetros constitisset. *Ouidij* versus sunt debita grauitate destituti: de eo aiebat Marullus, reprehendi potest lasciuiens, ac nimiùm sibi indulgens ingenium, quod & Fabius asseuerat. *Silium Italicum* dixerunt forum redolere, &

vulga-

vulgarem, profluentemq; venam carminis potiùs quàm elegantem: opusq; suum composuisse, perfecisseq; maiori cura, quàm ingenio, *Flaccum Valerium*, & *Lucanum*, concitatos esse, sed audaciores interdum, quàm grauiores. In *Statio* durum nimis carmen, & anxium, propterea q; supra modum tumidum. *Horatius* versus vt plurimùm inexcultè per monosyllaba desinere facit. Quæ ipse præcipit in Poëtica, non obseruat. In *Sidonij Apollinaris* Epistolis ingenium teste Crinito probatur magis, quàm iudicium, vt qui peregrinum, & Gallicum redoleat, & simul verborum inepta affectatione supra modum laborat, cuiusmodi accusantur ab alijs, *Cassiodorus*, *Ennodius*, *Fulgentius*, & *Claudianus Mamercus*; qui violata passim, ac disiecta Romani Imperij dignitate, minimè seruarunt Latini sermonis puritatem. De *Sidonio* Viues; *Sidonius Apollinaris obscurus, perplexus, fauorem iudiciorum nec consecutus est, nec meretur*. Petrus Equilinus eius sermonem vocat scabrum, sed eruditum lib. 7. cap. 107. de eo Petrarcha in præfatione Epistolari, *Nam Sidonij temeritatem admirari vix sufficio, nisi fortè temerarius ipse sim, qui temerarium illum dicam, dum sales eius, seu tarditatis meæ, seu illius styli obice, seu fortassis, nam vnumquodque possibile est, scripturæ vitio non satis intelligo*. & Lilius Giraldus de Poëtis Latinis. *Quæ autem Sidonij*

nij scripta extent, nec ego recensebo, nec vos ad ea legenda satis impellam. in vtroque enim dicendi genere Gallicum nescio quid, & barbarum redolere videtur: tametsi carmine præstat magis: & nisi Græcæ linguæ inscitia à recta plerumque numerorum lege declinare fecisset, poterat inter mediocres Poëtas annumerari: vt iure fuerit eorum temporum, quæ iam linguæ sordibus erant inquinata. De *Symmacho* Viues; *Symmachus nec magnitudine rerum, nec gratia sermonis potuit conseruare famam posterorum.* Alphonso Garziæ *Prudentius*, & *Iuuencus* meliores versificatores quàm Poëtæ videntur. *Senecæ Tragico*, quod ad Latinitatem, parùm deferunt docti. De Octauia Iustus Lipsius; *Quid non in ea protritum, vulgare? immo & vile? quàm multa rebus, verbisque inepta? quæ piget excerpere, & obijcere tibi sigillatim. Puer ego sum, nisi à puero ea scripta; certè pueri modo.* De alijs Tragædijs contra Scaligeri iudicium hæc: *Magnus Scaliger quod tam laudatũ de his testimonium tulerit, vt etiam Græcis antepofuerit, an ex verò! non dixeris, nisi ad primas illas adspectu. Nam cæteræ profecto non ascendunt culmem istud laudis. Sonus in ijs, & granditas quædã Tragica, fateor: sed nonne adfectatio sæpè, & tumor? Verba, & dictio an vsquequaque electa? iam sententiæ probæ, acutæ, interdum adminiculum, sed nonne sæpè & sententiolæ? idest fracta, minuta quædã dicta obscura,*

ſcura, aut vana: quæ aſpectu blandiantur, excuſſa moueant riſum. Nec enim lumina, ſed ſcintillæ ſunt: nec veri, forteſq; ictus, ſed vt in ſomnio parui, & vani conatus. Quas tamen ipſas crebro nimis, & ad faſtidiũ inculcat, nec inuenit. ſed arripit: non tam ſua fortaſſe, quàm æui culpa, cui Scholaſticum & Declamatorium hoc genus ita placuit, vt operum omnium, *Fabÿ verba ſunt*, ſolam virtutem ſententias putarent. *Hæc noto, non vt nota Poëtam illum afficiam, ſed vt te formem: diſcaſq; iudicio non præiudicio vti, nec ſignare ſtatim omnia linea alba.* Cordubæ nati Poëtæ pingue quiddam, & peregrinum ſonuere Ciceroni.

Quid tandem de Poëtarum Latinorum principe *Virgilio*? nec ipſe Cenſorum ferulam potuit ſubterfugere. Quò præſtantior, quò illuſtrior, eò etiam potioribus, acrioribus, acutioribusq; telis petitus, & eandem cum magiſtro Homero fortunam expertus eſt. Claudius Verderius ſcribit cum aliquando dictiones barbaras vſurpaſſe, vſumq; phraſi à nullo Latinorum, nec poëta quidem vſitata: Hieronymus in eo deprehendit Mantuanitatem. Alij hiſtoriæ falſitatem, & furta ex Homero obijciunt. Alij dicunt nõ modò verba accepiſſe ex Poëmatis Lucretij, ſed locos penè integros ab eo tranſtuliſſe. Carbilius Grammaticus Librum compoſuit de Virgilianis erroribus, cui titulus fuit *Aneidomaſtix*. Alij præterea complures furta eiuſdem

dem colligentes, vt imperitum furem accusant, de quo plura scribuntur à Macrobio in Saturnalibus. Eum paulò tardiorem in loquendo, penèq; indoctum, & subagrestem fuisse refert Helius Melissus, qui Commentarios de loquendi proprietate composuit. Refert Suetonius Cæsarem Caligulam Virgilij, & Titi Liuij scripta, & imagines paullùm abfuisse, quin ex omnibus Bibliothecis amouerit. *Quorum alterum, vt nullius ingenij, minimæq; doctrinæ; alterum & verborum in historia, negligentemq; carpebat.* Miraris, Lector, certò scio, & quì id fieri potuit, vt aduersus omnes magnos Viros, deq; re literaria benè meritos, ita audacter non minore liuore, ac malignitate, quàm superbia, sæuitiaq; multi grassati sint. Quid in hostes, & inimicos agerent, qui tam fœdè, atrociterq; fidos amicos, ductoresq; exagitarunt? Modò dicant, verè ne an falsò; prudenter, an fatuè id enuncient, nihil curant. ita peruersa ingenia, mentesq; debacchantur criminatrices. nec verentur se, id boni publici causa tentare; affirmantes censores sedere alienorum scriptorum.

Non moror. Quid & in veteres, & in recentiores Scriptores non ausus est Franciscus Floridus? En aliqua ex multis, quæ impudenter effutit: *Cæsaris* Commentaria virtutes, quæ ab Historico exiguntur, non exactè docent: nulla apud eum absoluta legitur oratio, quod est histori-

ſtorico, vt ſi quid, neceſſariũ. *Marullo Byzantio* nemo vnquam ventoſior extitit. *Antonius Mãcinellus Vellicernus*, multorum cõmentariorum indoctus, ineptus, inſulſus, ſordidusq; auctor, Grammaticæ artis vnicus deprauator, & ſæculi, quo vixit, infandum opprobrium, qui, vt inſignis ſuæ impudentiæ quamplurima nobis teſtimonia relinqueret, Latinos omnes Auctores tam ſtultè peruertit, quàm omnis ipſe iudicij, eruditionis, ac ſanitatis expers, apud indoctos non multum laudes, apud eruditos verò æternum ſibi dedecus comparauit. *Iodocus Badius Aſcenſius* indoctum præſegmen, barbariei columen, atque, vt in pauca conferam, Antonij Mancinelli interpres, dignum ſanè, vt aiunt, patella operculum, inſigni fretus impudentia, P. Virgilij opera cœno, ne dicam merda, obuoluens, non pauca in eruditiſſimis Viris reprehendere auſus eſt, quæ ob ſingularem inſcitiam ſummis labris deguſtare non potuit. *Beroaldus* vnica loquacitate commendandus, omnes aniculas inani ſtrepitu obtudit. Sunt omnes Beroaldi annotationes dignæ, quæ cum Iodoci Badij lucubrationibus conferantur. Quod ſi quid in illo commendare poſſumus, excellenti eum memoria præditum fuiſſe non diffiteor: licet ingenij, aut iudicij acumine non admodum ſit celebrandus: alienam non gloriam, ſed gloriæ puſillum fumum venditat. At quàm

est lubricus? quàm inconstans? Vix tantùm viua voce suis lucubrationibus gloriæ comparauit, quantùm sanè homo ad vnicum garriendi studium natus, post obitum deperdidit. Quæ enim ab ipso Auctore ad fastidium vsque vbiq; commendata non pauci admirabantur, ea tam sinistrè ab ijs, qui omni affectu vacui aliorum scripta, & legere, & diligenter excutere solent, accepta fuerunt, vt Latinam linguam non excolere, sed vel extinguere, vel prorsus labefactare voluisse videatur. Siquidem vitiosissimum scribendi genus, ex Apuleio, Martiano, Sidonio, & si qui sunt duriores, primus suis temporibus excitauit, & in multas Europæ partes, à quibus vndique ad eum confluebant auditores, ita diffudit, vt plurima adhuc supersint eius vestigia, neque penitus deleri possint, nisi aut quotquot ille instituit, inter viuos esse desinant, aut Principum edicto, ne qua illius opera publicè væneant, caueatur. Quorum vt blattarum, ac tinearum epulæ sint Libelli de Felicitate, De optimo statu, De Symbolis Pythagoræ, De terræ motu, nec non Medici, Oratoris, Philosophi, Ebriosi, Scortatoris, Aleatorisque Declamatiunculæ, & mille huiusmodi cacationes, primæ omnium iudicio Commentarijs in Propertium, Suetonium Tranquillum, Tusculanas Quæstiones, & ipsum deniq; Apuleium deferuntur. In quibus præter luto-

ſam loquacitatem, & vituperonum linguas cote liuoris acuminatas, nam eiuſmodi formulis, quaſi amæna diuerticula quęrens, ſuas omnes nugas conſperſit, hoc eſt maximè vituperandum, quod bonos Auctores interpretandi officium ſui peſſumdedit, fœdauitq; vt non alius magis. *Baptiſtæ Pij* Beroaldi Auditoris ſcripta recreandi animi gratia nonnunquam lectitans neminem ad hanc diem ex ijs extitiſſe didici, qui durior, ſordidior, impuriorq; in ſcribendo fuerit, quàm ipſe, longo interuallo in ſtili immundicie Magiſtro anteponendus. *Gulielmus Budæus* parùm erudito, candidoq; Viro conuenientem perſonam ſubijt, dum M. Tullium Gręculis quibuſdam nimis impensè fauens, imperitiæ, malignitatisq; arguit: dum Latinis omnibus nihil, neque iudicij, neque eruditionis tribuit: dum denique recentiores quoſdam Italos totis viribus cōculcare conatur: omnium, vt verè dicā, Latinorum irriſor; pluſq; vel viliſſimo Græcorum, quàm omnium Romanorū præſtantiſſimo deferens. *In Longolio* nihil inuenies quàm frigidū imitationis nomen. Hęc fermè Floridus.

Sed peruicax, ac contumax Floridi ingenium, An mitiora, ò ſi fieri poſſet, ſubſequentur? Ioannes Ludouicus Viues in opere de Diſciplinis; *Herodotum* veriùs mendaciorum Patrem dixeris, quàm, quomodo illum vocant nonnulli; Parentem hiſtoriæ. *Diodorum Siculum*

lum nescio cur Plinius dicat desijsse primum apud Græcos nugari, cum nihil sit eo nugacius. *Thucydides* difficilis scriptor, durus, ac planè ferreus. Aristotelis enarratores Græci, *Alexander*, *Themistius*, *Simplicius*, *Psellus*, *Philoponus*, & alij multùm habent verborum, sententiarum non aliud quàm ipse Aristoteles: Latini, primi illi *Apuleius*, *Capella*, *Boëtius* Dialecticam suam deprauarunt, & vim attulerunt Romano sermoni, quòd illum in ijs, quæ ad linguæ proprietatem spectarent, præceptis Græcitatis obtemperare coëgerunt inuitum, ac repugnantem. in recentes tamquam in nauis sentinam omnia Dialecticæ vitia confluxerunt, & Aristotelis, & priorum, & longè plura, & fœdiora, quæ ipsi de suo adiecerunt. Græci in Aristotelem interpretes, *Psellus*, *Magentinus*, *Ammonius* obruunt Lectorem verbis inanibus; qui propè est mos enarratorum illius gentis. *Abenrois* nomen est Commentatoris nactus; homo, qui in Aristotele enarrando nihil minùs explicat, quàm eum ipsum, quem suscepit declarandum. Sed nec potuisset explicare etiamsi diuino fuisset ingenio, cum esset humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quo in Aristotele enarrando posset esse probè instructus? non cognitionem veteris memoriæ, non scientiam placitorum priscæ disciplinæ, & intelligentiam sectarum, quibus Ari-

ſtoteles paſſim ſcatet. Itaque videas eum peſſimè Philoſophos omnes antiquos citare, vt qui nullum vnquam legerit, ignarus Græcitatis, ac Latinitatis. pro Polo Ptholomæum ponit, pro Protagora Pythagoram, pro Cratylo Democritum; libros Platonis titulis ridiculis inſcribit, & ita de ijs loquitur, vt vel cęco perſpicuum ſit, literam eum in illis legiſſe nullam. Citat Auctores nonnunquam, & contradicit, & cum eis rixatur, vt nec ipſe quidem, qui ſcribit, intelligat. Ariſtotelem verò quomodo legit! non in ſua origine purum, & integrum, non in lacunam Latinam deriuatum; non enim potuit linguarum expres, ſed de Latino in Arabicum transfuaſatum, in qua transfuſione ex Græcis bonis facta ſunt Latina nõ bona, vt ille dicit, ex Latinis verò malis Arabica peſſima. *Abenrois* Doctrina, & Metaphyſica *Auicennæ*, denique omnia illa Arabica videntur mihi reſipere deliramenta Alcorani, & blaſphemas Mahumetis inſanias; nihil fieri poteſt illis indoctius, inſulſius, frigidius. Inuectæ ſunt cauillationes ſtultarum ſubtilitatum, quas ipſi Calculationes vocant, quibus maximum dedit incrementum *Rugerus Suicetus Anglus*, quas idcirco Ioannes Picus quiſquilias Suiceticas ſolitus erat aptiſſimo nomine nuncupare, quæ nihil penitus, vel ad ſciendum conferunt, vel ad vſum aliquem. *Laurentius Valla* in Dialectica, in qua

diſ-

dissentit ab Aristotele, & Peripateticis veteribus, & nouis, monet in quibusdam neutiquam prauè, etsi ea sunt perpauca, in plerisque labitur, vt fuit vir ille vehemens, & ad faciendum iudicium præcipitatus. Nec solùm in re Dialectica falsus est, sed in Philosophia. nam hanc quoque attingit, & quod magis mirere, in præceptis Latinæ linguæ. Sed non minùs illic improbando aberrauit, quam in elegantijs, & inuectiuis. Puritatem linguæ arbitror equidem maiorem, & castigatiorem fuisse in C. Cęsare, in M. Bruto, & alijs Romanis Principibus, quàm in *M. Tullio*. Nec phrasis eius omnibus placuit, etiam cum de ea poterat censeri, non Bruto, non Caluo, nec ipsi Pomponio Attico amicissimis. ac cuiusmodi censoribus? *Tacitus* habet quædam duriuscula, & imitatu periculosa. *Varro* durus, & opificibus accommodatus. *Aulus Gellius*, homo rhapsodus planè, congestor potiùs quàm digestor, & ostentator quàm peritus, loquaculus sine eruditione. in verbis, ac sententijs putidulus, quæ de significatu vocum disserit, sunt friuola, & plerumq; imperita, ac falsa. legendus est quidem, sed ita, vt te rem leuem scias inspicere. Idem durissimarum elegantiarum affectator. *Priscianus*, *Diomedes*, *Aspar*, *Phocas*, *Caper*, *Capella*, parùm ad docendum idonei. *Seruius Honoratus* multa affirmat incompta. notas in eum aliquot

Philippus Beroaldus, composuit, homo non multò, quàm Seruius, ipse accuratior. *Acron*, & *Porphyrion*, Horatij expositores dormitant crebrò, atque adeò stertunt quoque. *Lucianus* Asianus est, verborum apparatu instructus, ac tumens, rerum inanis prorsum. *Apuleius* in Asino planè rudit; in alijs sonat hominem; nisi quòd Florida sunt ridicula. *Tertullianus* perturbatissimè loquitur, vt Afer. *Plotinus* obscurus, & intricatus. *Iulius Solinus* Plinij simiolus, vel veriùs suppilator, furunculus. *Philostrati* Apollonius penè totus figmentũ est rabiosum, ac blasphemũ. *Iuuencus*, *Prosper*, *Sedulius*, *Paulinus*, lutulentæ, & perturbatæ sunt aquæ. *Sidonius Apollinaris* contempto M. Tullij epistolari stylo, vt dicit, C. Plinij disciplinam, maturitatemq; vestigijs præsumptuosis insequitur: omitto ridicula hæc vestigia præsumptuosa, tum disciplinam, & maturitatem *Plinij*; quasi maturitas sit aliqua in Epistolis Plinij, & non potiùs viror, & flores; aut, si qua est, non maior, & mitior sit in M. Tullio. Nam quam tandem vocet disciplinam, nec ipse arbitror Sidonius declararit, qui scripsit. Sed quæro in quo se putet Plinij similem, à quo tam distat, quàm Graccus à Philomela, nisi fortè similis videri postulet, qui adscribat semper, *Suo*, vt Plinius. Si sequi se dixisset Apuleium, & Cassiodorum, haberet fortassis plures, qui crederent. *Franciscus Pe-*

trar-

trarcha squallorem sui seculi non valuit prorsum detergere. *Ioannes Bocaccius* Petrarchæ discipulus nulla ex parte est cum magistro conferendus, in interpretandis fabulis sæpè est nimius, & frigidus. *Francisci Philelphi* lectio est molesta, quòd motu omni, & quasi vita careat, *Georgius Trapezuntius*, *Gaza* verbosior, & minore verborum delectu. *Campanus* à rebus est inops. *Laurentij Vallæ*, & *Raphaelis Volaterrani* versionem Homeri, tanquam interpretationem iustam tanti Auctoris non probo; præsertim quòd eo traductionis genere maxima gratiæ pars præclarissimo Operi detrahitur. *Frossardus Gallus*, aut *Monstreletus*, aut *Philippus Comineus*, aut *Valera Hispanus*, licet paulò digniores Historici nomine, omittunt sæpè præcipua, & quæ ad exempla, quæ ad rerum vsum conducerent: dicunt de nugis, de rebus læuissimis. *Cœlij* Lectiones antiquæ interdum vetustate horrent, non tam rerum, quàm verborum. *Franciscus Patritius* de Republica, & regno, est otiosus multis in locis, ac segnis, qui sine delectu aggregauit, & sine censura; quæ duo in adducendis exemplis potissimùm requiruntur. *Petrus Criscentianus* stylo, & verbis malè cultus; *Pomponius Lætus* exiguæ eruditionis, tota eius celebris diligentia circa verba, & historias aliquot, tum saxa erudita, & monumenta diruta consumpta est. *Hermolaus* durus, styli genus

quoddam adfectauit submorosum ex vetustis, & nuperrimè inuentis vocabulis conflatum. *Politianus* grauitatis minùs habet, & dum selectas quasdam vel voculas, vel dicendi formulas quasi gemmas auet ostentare, longiùs circumducit Lectorem, pluribus tum verbis, tum sensis orationem onerans, quàm erat opus. Flosculos quosdam decerpit ad ostentationem, quàm vnam ferè venatur. *Grapaldus* plus habet conatus, quam rei. *Nestor* haud satis eruditus. *Calepinus* congerendis alijs idoneus, explendis verò, quæ deerant, non idoneus. *Textoris* Officina perturbata, nec semper certa, vt erat Auctor Græcarum literarum prorsus ignarus, nec in Latinis magnæ dexteritatis. hæc verbis propemodum ipsius met Viues.

Erunt ne cęteri à criminationibus immunes? quis id affirmet? Etiam sæquioris sæculi, æuiq; nosti Auctores seuero Censorum iudicio lacessiti sunt. En quot nobis vno Opere Lylius Giraldus iugulauit. In *Maphæi Vegij* Dialogis, & De liberorum institutione Voluminibus pleraque sunt otiosa, & arte destituta. *Antonius Panhormita* nec Poëta bonus, nec bonus Orator; quæ enim soluto, & pedestri sermone eius scripta legi, luxuriantis magis, quàm bonæ frugis referta videntur; vt impudicas, & prostitutas eius Musas mittam. *Ioannis Aurispæ* carmina, quæ ipse legi, nescio quid Sicularum gerra-

rum

rum habere videntur; fuit enim eo tempore, quo nondum exquisitæ literæ in lucem redierant. *Cynthius Cenetensis* in Elegiaco carmine omninò elumbis, & eneruis. *Cosmici Patauini* Epigrammata dura illa quidem, licet arguta. *Fausti Foroliuiensis* facilitas plerumque vulgaris, & protrita. *Gregorij Tifernatis* in Poëmatis vena facilis vbique, sed non planè perspicua. *Baptista Mantuanus* extemporalis magis, quàm Poëta maturus. Extant illius versus penè innumerabiles, ex quibus apud vulgus, & barbaros quosdam laudem tantam est adeptus, vt vnus propè Poëta, & alter penè Maro haberetur. At bone Deus, quàm dispar ingenium! nam, vt vbique Maro perfectus, ita hic immodica, & penè temeraria vbique vsus est licentia, quam & magis, atque magis in dies auxit. *Angelus Politianus* calore potiùs, quàm arte versus scripsisse videtur; iudicij vtique parum cùm in seligendo, tum in castigando habuisse visus est. vnde maleuolis sui calumniandi ansam dedit. *Ludouicus Bigus Pictorius*, cùm priùs deflexit ad religionem, vt vita melior, ita carmine deterior visus est. *Codri Vrcei* Carmina citra labem, sed absque Venere. *M. Antonius Sabellicus* facilis est vbique in carmine, & canorus, nec iniucundus; sed minùs castigatus. *Petrus Crinitus* multa vbique polliceri videtur, quæ non adeò præstat; omnisq; Criniti oratio

non vt aures ita animum implet. propè enim dixerim nugæ canoræ. *Philippi Beroaldi* Senioris mira fuit facilitas, sed ingenio, & iudicio destituta. Præstitisset ille aliquid in Phalæcijs, si sibi temperare, quàm indulgere maluisset. *Guidus Posthumus Pisaurensis* aggressus est Phalæcios, & Heroicos parùm vtrumque rectè. Sapientiæ, & Medicinæ studia amplexatus, nihilò plus, quàm in Poëtica profecit. *Georgius Anselmus Parmensis* exsiccatum dicendi genus, & duriusculum consectatus est. *Baptista Pij* etsi obscura, & cæcata est oratio, ita vt plerumque inquinatè loqui videatur; versus tamen, quos edidit, & Elegiarum libri alicubi aliquam præferunt Venerem. *Cælius Rhodiginus* parùm in pangendis versibus versatus esse videtur. id quod vel ex miscellis, & parùm plerumque cultis suis voluminibus facile colligi potest. Næ in *Pamphilio Sassio Mutinensi* verissimum illud esse videtur, quod est ab Aristotele proditum, eos, qui memoria excellunt, plerumque ingenio, ac iudicio deficeret; minùs enim omninò Sassio iudicij, ac limæ. *Antonius Casanoua* dum plerumque acumen affectat, in elocutione minùs diligens esse videtur, ingenio mordaci. *Baptista Casalius Romanus* durus, & sui iudicij vbique. *Petrus Alcyonius* mordax, & maledicus, nec pudens magis, quàm prudens. Nebulo bellum bonis omnibus indixit,

xit, flagris, & fusta coërcendus. In *Iamberti Veneti* Dolotechne multa demissiùs dicta, & sine arte. *Bernardi Bibienæ* Comædia, & si iocis, & facetijs scatet, ars in ea defuit. *Ludouici Ariosti* carmina Latina ingeniosa, sed duriuscula visa sunt. Sic *Antonij Thilesij* duriuscula certè, & laboriosa. *Hieronymi Nucaroli* laxa, & lubrica, numerisq; fluentibus. *Petrus Curtius* quædam in dies audacter magis quàm paratè molitur; vix sperandum est eum ætate, & bonorum amicorum consuetudine maturitatem consecuturum. *Baptista Fera* pleraque edidit dura, nec compta nimis, nec sine aliqua liuoris nota. omnibus huius feræ catuli parùm tractabiles. *Francisci Grapaldi* carmina mihi non satis probantur. In *Hieronymi Fracastorij* carminis structura quædam sunt prælicenter dicta. *Bernardi Donati* soluta oratio lucernam redolet, sed non planè Arpinatem. *Egnatius Venetus* eruditus potiùs, quàm vel Poëta bonus, vel bonus Orator. *Lancini Curtij* Syluæ agrestes, & luxuriantes à doctis putantur. eius Epigrammata dura, & incondita existimata; quæ dum sale multo vellet inspergere, à delicatis ingenijs gustari non possunt. *Antonius Marius Visdominus* humili stylo vtitur, & plerumque serpit. *Georgij Cœlij Lusitani* carmina, licet ille multa polliceatur, parùm exculta videntur. *Egidius Delphius* non multa cum re pangit carmina.

mina. *Francisci Nigri* Veneti admodum dura; quòd in eis affectatam eruditionem inserit. *Stephanus Doletus* magna volumina triuialibus; & scholarum magistris scripsit, ad triuialem elegantiam comparandam. Verùm & eius carmina feruntur satis illa quidem tolerabilia, sed arrogantiæ plena; quàm cùm & in cælum, & pietatem extulisset, illum meritò impietatis procella è medio sustulit. *Andreas Dactius* inter mediocres Poëtas connumerari potest. varia scripsit haud multa cum re: eius tamen quædam legi ab otiosis queunt. Sed ex pluribus Gyraldi censorijs notis hæc pauca.

Cui non ex Romanæ Historiæ Scriptoribus aliquid defuit? quis vndique aptus? nullus perfectus, expletusq; suis numeris fuit, Censore Sigonio, libello de hac re edito per Baltassarem Bonifacium; siue potiùs Censore Constantino Patritio Chio, huius enim ea Opella fuit. *Polybij* scripta sunt ita crebris interpositionibus interrupta, vt qui se præceptorem Historiarum conscribendarum ostendit, historiæ leges, quasi negligere videatur. *Iulius Cæsar* ad iustam historiam non attingit. *Sallustius* Trogo Pompeio displicet, quòd orationibus nimis longis vtatur. *Diodorus Siculus* res Romanas minùs diligenter persequitur. In *Tito Liuio* dicendi copia maior, quàm diligentia: ideòq; à principe Caio tamquam verbosum, & negligentem nota-

notatum fuiſſe. *Valerius Maximus* dum ex omnibus elicit, qui ſæpè varij inter ſe ſunt, ſæpè etiam non ſibi conſtat. *Paterculus* tenuis alioquin verbis, & ordine non ſatis accuratus, adulationis ſupra quam credi poteſt vitio laborauit; præſertim cum Auguſti, & Tiberij Cæſaris geſta narrauit. In *C. Plinio* diligentia maior, quàm dicendi ratio. *Plutarchus* dùm ſingulis plura, quàm ad eorum vitam pertinet, tribuit, hiſtoria ſæpiùs repetita, atque conciſa non aſſequitur, vt vel ex omnibus diſcamus; quæ geſta ſunt, quo conſilio, quo ordine. *Cornelij Taciti* ſtylus magis grauis, quàm elegans, aſper enim, parùmq; duriùs cultus eſt, atque à Latinę linguæ candore diſcedens. *Plinius Iunior*, vt elegantia Romana haud mirabilis eſt, ita propter magnitudinem materiæ valde nobis vtilis; licet non ſemel erret, & pleraque dicendo omittat. *Suetonius* ſtylo alioqui tenui, & qui Grammaticum magis, quàm hiſtoricum ſonat. *Appianus* multis in rebus leuis, multa etiam omittit. *Lucius Florus* declamator, non hiſtoricus videtur; dum ſingula bella deſcripſit, in ſingulis ineptus eſt. *Iuſtini* ordo non ita exactus. *Dion* Aſiaticus eſt; in Concionibus plus nimiò loquax. *Iulius Capitolinus*, *Aelius Lampridius*, *Trebellius Pollio*, *Flauius Vopiſcus*, *Aelius Spartianus*, & *Vulcatius Gallicanus* rerum diſpoſitione vtuntur minùs apta; ſtylusq; tenuis;
ple-

pleraque etiam dicenda omittunt; multis ineptè, quæ ad rem nihil, vel parùm faciunt, additis. *Flauius Eutropius* minùs elegans. *Ammianus* in Latino ſermone parùm verſatus, ſcripſit adeò duro, aſpero, incompto, & planè barbaro ſermone, vt vix, quid dicat, conſequi poſſis. *Sextus Rufus* tenui, & planè corrupto ſtylo. *Zoſimus* totus in Chriſtianæ religionis pietate oppugnanda, Principibusq; Romanis, qui & initiati fuerant, lacerandis verſatur, ideò ſæpè falſa ſcribens, indignus eſt hiſtorici nomine, à quo amor, & odium abeſſe debent, vt veritati locus ſit. *Procopius* mediocri ſtylo, ac planè naturali dictione, quæ Aſiaticæ propior eſt, quàm Atticæ, *Agathias* ſtylo tenui, & crebris interpoſitionibus confuſo. *Iornandi Gothi* Epiſcopi ſtylus barbarus eſt. *Pauli Diaconi* tenuis, & quaſi barbara dictio. pleraque etiam dicenda omittit. *Anaſtaſius* inepto, & planè barbaro ſtylo hiſtoriam deſcripſit. *Ioannes Zonaras* omnia ante Conſtantinum ineptè, & parùm diligenter (de rebus Latinis loquor) explicauit.

Quid interim alij? *Theodorum Gazam*, tradit Henricus Stephanus, & obſcurè multa, & non ſatis fidè pauca quædam tradidiſſe. *Emmanuelem Moſchopulum* non ſatis iudicio valuiſſe, aut ſi eo valebat: id non adhibuiſſe in omnibus, quæ ſcribebat. Eius Grammaticam multa magis curioſa, quàm ſcitu neceſſaria habere. In

libro

libro De ratione examinandæ Orationis quaſdã inutiles quæſtiones proponere,quaſdam verò,ſi non omninò inutiles, at tales,vt multò vtiliores proponi potuerint. *Petrum Anteſignanum* inſidorum Grçcæ linguæ magiſtrorum anteſignanum. infinita enim propemodum, ex eo pueri diſcunt, quæ illis poſtea fuerint dediſcenda. Ex ijs, quæ hinc inde congeſſit *Ioannes Verennius* nonnulla eſſe *τȣ̃ πονηρȣ̃ κόμματος*. *Georgium Fabritium* minùs fideliter, quæ ad linguam Græcam pertinent docuiſſe; ſomniaſſeq; non in alio, quàm quò Græcus penetrare non poſſet ſermo. Franciſcus Robortellus *Plutarchum* multis in locis perperam protuliſſe nomina Romana, quod eſt aliquando etiam à Dionyſio factum. Ianus Rutgerſius *Ioannem Hartungum* Apollonij Interpretem, Apollonium ita tranſtuliſſe, vt non paulò faciliùs ſit, Apollonium ſua, hoc eſt Grçca lingua aſſequi, quàm ea, qua eum Hartungus loquentem facit Latina. Infinitum eſſet ea perſequi, in quibus longiſſimè à ſententia Apollonij aberrauit. Andreas Schottus *Longolium* centones impudenter nimis ex Cicerone conſuiſſe. *Hermolaum Barbarum* horridum, ſed eruditum ſcriptorem. Ioannes Antonius Viperanus *Plutarchum* nimium nonnullis interdum videri, quòd à rerum geſtarum narratione, quod etiam *Polybio* obijciunt, ad Philoſophorum ſcholas, & longiores de moribus diſputa-

ſputationes diuertat. Robortellus *Salluſtium* multa odio adductum reticuiſſe. Sebaſtianus Foxius, *Blondum*, *Nauclerum*, *Vincentium*, *Antoninum*, cęterosq; huiuſmodi Auctores incultos, horridos, aſperos, nullaq; virtute oratoria, aut hiſtorica inſignitos. In commentarijs de Genuenſium rebus aduerſus Venetos geſtis *Bartholomæi Facij*, ait Iouius, fidem eſſe deſideratam. Sed quid de *Iouio* ipſo? quas Gorræus Pariſienſis finxit Amadiſi fabulas, aliquis non minùs veras, ac probabiles, quàm Iouij ſcripta fore confidit. In Concionibus decorum ita confudit, vt imperiti milites, ipſius Alciati, ſui laudatoris, iudicio; declamatores Scholaſtici eſſe videantur. Hunc mendacij fructum tulit, vt etiam, cum vera ſcribit, ſuſpectus habeatur. hoc tamen acerbius eſt, & indignius, quòd cum hiſtoriam venalem proſtituiſſet, vberiores tulit mendacij fructus, quam quis alius vera ſcribendo. Hic, vt refert Stephanus Guatius lib. 2. de Conuerſat. cum ob hiſtoriæ falſitatem reprehenderetur, reſpondit, illud ſe conſolari, quòd elapſo centum annorum ſpatio, nemo ſuperſtes futurus ſit, qui contrarium poſſet aſſerere., ſic euenturum, vt poſteri indubitatam fidem ſcriptis huiuſcemodi eſſent habituri. Meritò itaque Lipſius ſcribit, eum iudicio, ac fide ambiguum; vbi affectus non diſtrahunt, rectum; vbi illi adſunt, obnoxium: ad gratiam

ſci-

ſcilicèt ſe dat, & auram: Laudationum nec cauſſam ſæpè habet, nec modum: Genti ſuæ, Vaſtio, Medicæis nimis ex profeſſo addictus: his quidem ita, vt Laurentium Medicem parricidij reum velut apud Iudices agat. Orationibus quoque aut frigidus interdum, aut ineptus. In *Poggium Florentinum* hiſtoricum, vti Patriæ fauentem nimis, ita hoſti minùs æquum lepidè, eleganterq; luſit Sannazarius;

Dum patriã laudat, damnat dũ Poggius hoſtem.
Nec malus eſt Ciuis, nec bonus Hiſtoricus.

Caſaubonus ait, *Ambroſium* illum Laertij Interpretem, tanta in pleriſque licentia vti, vt nõ interpretem illum Laertij, ſed ſcriptorem hiſtoriæ iure dixeris. *Ioannem Tzetzem* vocat ſcriptorem vaniorem, ſtolidioremque, quàm antiquiorem. *Nicolaum Perottum* affirmat à fidelis interpretis laude tantùm abeſſe, quantùm qui longiſſimè: in Græca lingua parùm verſatum: Nullo modo ferendum, aut excuſandum: hominem bellicarum rerũ, & totius Tacticæ adeò rudem, & imperitum, vt qui in cæteris partibus Polybianæ hiſtoriæ multa neſciret, in deſcriptionibus præliorum omnia ignoraret, omnia peccaret: atque eadem opera tanto Scriptori, quod erat ferè præcipuum eius decus, adimeret. Iuſtus Lipſius ſtylum *Nicetæ Choniatæ* operoſum appellauit, & Homerum ſæpè reſipientem. *Nicephorum Gregoram* nequaquam

pari cum Niceta castigatione, aut industria scripsisse, & vitia plura traxisse sui æui. Inter mediæ ætatis scriptores non est, quem pro mediocri historico laudet. Adeo labente imperio barbaries statim,& squallor omnia occuparunt: &, si qui scripserunt,ij ferè ad vana delapsi, falso vera, aut maiora vero,miscuerunt. *Paullus Aemilius* stylum parùm nectit, & spargit, diuiditq; eum in minuta quædam membra. Alibi nimiùm anxius, & castigatus, ideòq; subobscurus;alibi laxus,& solutus. Vetustatis etiã nescio quid affectat in nominibus hominum, locorum, vrbium immutandis, & in veterem formam redigendis: sæpè eruditè, interdum vanè; sed,vt ipse iudicat, semper indecorè. *Guicciardinus* vitia duo propria huius æui non effugit, Quòd & iusto longior est,& quòd minutissima quæque narrat, parùm ex lege, aut dignitate Historiæ: Sed nec Orationes eius satis vegetæ Lipsio,aut castigatę. Languent sæpè,aut solutè vagantur. Denique licet inter nostros summus, inter veteres mediocris est. *Petrus Bembus* iacet in narrationibus, vel friget: in verbis affectatiunculas habet materię, aut viro serio parùm dignas; Nulla vox nisi ex Tulliano, aut Iuliano penu; & quæ sic dici non possunt, quippe noua,vel ijs ignota, miro verborum ambitu comprehendit. Ipsa etiam tota scriptio, & formulæ sic compositæ; quasi hæc omnia Romæ gesta, & Republica

blica illa ſtante . ſunt in quibus rideat Lipſius: ſunt in quibus indignetur, & cum tam curiosè à verbis ſibi cauerit, reperit alibi, quæ vix Latina ſunt. Decius ex albo Iuris-conſultorum *Alciatum* eximens Ciceronianum vocauit. *Pauli Veneti*, & *Haytoni* ſcripta, aiebat ille, exigua ſunt, & fabulis confuſa. *Olaus* ſæpè incredibilia narrat. *Polydorus* de rebus Scotis, & Francis valde ſuſpectus eſt.

Et paucis ab hinc annis, vt me tandem expediam, Iulius Cæſar Scaliger, homo omnium, ſi Dis placet, ſcitiſſimus, in omnes non tantùm Græcos, ſed etiam Latinos crudeliſſimè, libris quos de Poëtica concinnauit, ſæuijt; nec fuit Auctor, cui ipſe pepercerit, ſed tamquam ξιποδὸς ἐκ χρυσηλάτυ θεατριωδῶν Auctorum ſcripta pro libidine, emendauit, correxit, notauit. an rectè, aliorum eſto iudicium. De ſemet affirmat lib. 6. cap. 5. nihil incultum, nihil plebeium, aut cogitare, aut excogitatum fouere, & potiùs centum bonos verſus iugulare, quàm vnum plebeium relinquere. Quis non miretur Viri modeſtiam? quis magnas cogitationes non obſtupeſcat? En eius verba. *Proinde in hiſce nos exercitatos ſcient Poëſeos candidati, vt procul ab ignauia nihil incultum, nihil plebeium aut cogitemus, aut excogitatum foueamus. Contra enim nobis, atque Iuris-conſulti ſanxere, faciendum eſt. illis enim ita videtur, Præclariùs conſuli re-*

li rebus humanis; si decem sontes absoluantur, quàm si vnus innocens damnetur. At enim verò Poëtæ id agendum est, vt potiùs centum bonos versus iugulet, quàm vnum plebeium relinquat. Huius itaque è lib. 6. nonnulla in Veteres, primosq; Auctores iudicia, & censuras excerpsimus, quorum tibi copiam facimus, vt inde colligas, quãtùm sibi hac in re promiserit. *Marullus* ipsi est totus durus, morosus, aliorũ obtrectator, sui admirator simul, & diffidens. Anxius enim quo dicat modo, hęret negotiosus, omninò inuenustus. primum Epigramma ad Neæram maximè est insuaue. Ne supinum hoc seculum ista leuia, atque incondita miretur oscitanter. nam pleraque talia sunt: plurima plebeia, & sordida: multa ex aliena inuentione, Gręca scilicet, aut Latina. Hoc Viri illius ingenio maximo, atque præclarissimo vitium fuit peculiare, vt magnifico spiritu scribere aggressus, elanguesceret in orationis tractu feruor ille: egregiosq; primos illos impetus iudicium deinceps destitueret, aut voluntas. *Augurellus* parùm potest, parùm præstat; parùm conatur. In Lyricis vix ferendus. Quauis humilitate humilior, exanguis, sine colore, & anima. In sermonibus nitor abest, omnia plebeia, ne dicam sordida, aceti, aut salis nihil. In Chrysopœia languida omnia, aç penè emortua, trepidationis potiùs quàm limæ agnoscas vestigia. Iambica

mi-

minus feliciter fluunt. In *Maphæo Vegio* Oratio Aneeę frigida;nec multò meliora,quæ deinde ponit, nec plenior, aut felicior Oratio Latini. *Angerianus* arguta multa,ſed parùm argutè. Eius Epigramma impolitum, & carens cultu; aliqua in eo ſunt plebeia, & vulgaria. *Baptiſta Fiera* doctus,& accuratus,ſed durus. *Carmelita* mollis, languidus,fluxus, incompoſitus, ſine numeris, plebeius: non ſine ingenio, ſed ſine arte. dummodo ſcribat, quod in mentem venerit, edat,quod ſcripſerit, ſusq; deq; habet. de eo poſſis ita dicere,

——— *Putri, atque caduco*
Carmelum imbuerunt ſordentes rure cicadæ.

Verſus illius immodici, illoti, ſcabioſi. *Quintianus* Beroaldos, ac Pium ſecutus, eorum vitia auxit ingenij ſui magnitudine. Periochæ Ouidianarum fabularum ſatis oſtendunt, nihil ei præter iudicium defuiſſe. *Amaſæi* argumentum non admodum felix ad tanti ingenij exercitationem. *Rodophilus*, & *Doletus* poëſeos febres. Extat illius Comœdia, qua nihil auerſum magis à comitate, adeò enim inſulſa eſt, vt miſericordiam potiùs quàm riſum excitet. *Doletus* verò etiam Muſarum carcinoma, aut vomica dici poteſt. nam præter quàm quòd in eo tam grandi corpore ne mica ſalis quidem, vult inſanum agere Tyrannum in poëſi. ita ſuo arbitratu Virgilianas gemmas ſuæ inſerit pici, vt

videri velit sua. Ignauus locutuleius, qui ex tessellis Ciceronis febriculosas quasdam conferruminauit, vt ipse vocat, Orationes; vt docti iudicant, latrationes. In Epigrammatum verò colluuionibus, atque latrinis illis, quid eius tibi sordes dicam? languida, frigida, insulsa, plenissima illius væcordiæ, quæ summa armata impudentia, ne Deum quidem esse professa est. *Palingenij* versus, ac stylus in imo genere dicendi. Non placet consilium inscriptionis. Ruditer pangit ea, quæ à Græcis Auctoribus Phænomena dicuntur. Multa millia versuum auferri possunt ex illius Zodiaco vitæ. sunt præterea, quæ Grammaticus iure obijcere, quę syllabarum obseruator meritò possit. *Cottæ* Lyricum de Liuiano indignum sanè, quod legatur. namque & durum est, & laxum. Scazontem auersis Musis, & Apolline nullo fusum potiùs, quàm fabricatum fugito. nihil enim insuauius. *Augustini Beatiani* Epistola ad Clementem Papam sine arte, sententijs, & numeris vulgaribus, vt in ea neque puritas sit Epistolæ, neque maiestas Heroici. Epigrammata prætereà nonnulla haud magna cum re. *Naugerij* Ecloga ad Iulium Pontificem minùs suauis est: nihil enim affert noui, quod excitet. *Apollonius Collatius* frigidiusculus Poëta est, & cum discedit ab Elegiaco etiam infelix. *Fausti* facilitas scholas sapit iuniorum. *Laurentij Bonincontri*

ar-

argumento ſtylus eſt longè inferior. *Bembus* venuſtate ſæpè; neruis ferè ſemper deſtitutus. in Hymno in D. Stephanum tam parùm ſuauitatis, vt nuſquam minùs. *Politianus* neque candorem quæſiuit, & amiſit Venerem. numeros verò etiam contempſit. *Hieronymi Vidæ* Schachiæ inuentio iuuenilis eſt, & quæ interdum officiat decori. Hymni, & Eclogæ puerilia ſunt, & plebeia. *Pontanus* in carmine modum penitus ignorauit. Iambos tractauit vel infeliciſſimè. Ingenij rapiditate aufertur auius ab ea moderatione, quæ mens eſt Poëſeos, & frequenter incuria, aut amore ſui; ſordidus etiam alicubi, aut malè cultus videtur. *Macer*, cuius de Herbis circumfertur Poëma, neque Poëta fuit, neque bonus Medicus, neque ſincerus verſificator. *Serenus* Sammonicus adeò tenuis, vt nullum vmquam æquè Scaliger meminerit, pauciſſimisq; figuris vtitur. *Sidonius* anxius. *Calphurnius* laxus, & tumidus eſt: nuſquam acuit, nuſquam tenet, verſus eius nonnulli parùm ſapiunt. Tertia Ecloga puerilis, quarta immodica eſt. *Boëtij Seuerini* oratio ſoluta, ſeculi barbarie deterior inuenitur. *Auſonij* ſtylus duriuſculus, Epigrammata inculta ſunt penè omnia, & omnia dura; quædam & inepta, aut frigida, aut friuola; nonnulla verò adeo fæda, atque deteſtanda, vt neque ſcriptore, neque auditore digna, non in ſpongiam in-

cumbere merita sint, sed solis flammis expiari posse videantur. Permulta sunt, in quibus vel vim, vel venustatem, vel denique cultum idem desideret. In *Claudiani* libris De raptu Proserpinæ nonnulla animaduertit; esse aliquid insuaue, & remotum à castitate Latinę locutionis, & aliquid etiam infeliciter explicatum. *Persij* stylus morosus, & ille ineptus; qui, cùm legi vellet, quæ scripsit, intelligi noluit, quæ legerentur: necnon ostentator febriculosæ eruditionis, cuius causa cætera neglexit. *Valerius Flaccus* est omninò duriusculus, penitùs verò nudus gratiarum comitate. *Silium Italicum* postremum bonorum Poëtarum existimat, quin ne Poëtam quidem: Non neruos, non numeros, non spiritus habet. Adeò autem ab omni Venere alienus est, vt nullus inuenustior sit. Totus hæret, trepidat, vacillat, vbi audet, cadit. Multa aut aliter dicta, aut non dicta à *Statio* vult. natura sua elatus, sicubi excellere conatus est, excreuit in tumorem. *Lucani* effrænis mens, sui inops, serua impetus, atque idcirco immodica, raptaq; calore simul, & calorem ipsum rapiens, hostem maximum eius temperamenti. excursus Lucanus tam ambitiosè quæsiuit, quàm ineptè prosequutus est. iste vulgaris, aut falsæ ostentator eruditionis inscitiam suam prodidit non semel. *Nemesianus* minùs prudenter in Operis principio numerum

mu-

mutauit. nonnulla habet dura, rudia, è triuio, & partim plebeia, partim affectata. Nimis immoratur in fabulis recensendis, ad septuaginta versus impendit extra materiã expatiatus, antequã venationẽ aggrediatur. *Cornelius Gallus* durior. *Sabinus* adeo tenuis; vt verè sit vmbra Ouidij, & quasi eius δἀντεραγωνιστής, neque dignus in cuius censura multum operis ponatur. In primo libro *Propertij* apparet ambitio quædam claudendi pentametrum vocabulis multisyllabis, qui numerus mollior est etiam in Iambicis. Penè igitur conquisisse, atque corrogasse voces existimatur, quibus obnoxias efficeret sententias; id quod manifestiùs deprehenditur ad calumniam constituendam, quòd in sequentibus libris aliter instituit; quasi defecerit eum similis materia. aut fortè castigatus, vel ab amico, vel à seculi iudicio limatiori. In *Ouidio* multa corrigit, nonnullaq; tamquam insuauia, & languida notat; in alijs structuram, & numerum minùs laudabilem. In libris Metamorphoseon multa licet aut reprehendere, aut tollere, aut castigare, aut immutare. In fine quarti libri *Tibulli* Epigrammata sunt, & dura, & languida, & insuauia. Elegia quoque ad Iunonem non optimo consilio confecta; orat enim pro impudicitia suæ puellæ, quòd esset numen matronalis castitatis. vsus Infinitiuorum illorum non placuit, *Continuisse, discubuisse, Increpuisse*, &c.

etiam

etiam *Perfoluiſſe*, quorum tum flexus, tum crebritas arguit hominem vel ignauum, vel inopem conſilij,in verbis,eorumq; ſonis tum inueniendis,tum collocandis.Laxior etiam eſt aliquando,quàm quantùm ab Eruditorum auribus ferri debeat. In alijs item humi repit, atque ita repit, vix vt vſquam ſeſe attollere audeat. *Catullo* docti nomen quare ſit ab antiquis attributum, neque apud alios comperit; neque in mentem venit illi; nihil enim non vulgare eſt in eius libris. Eius autem ſyllabæ cum duræ ſunt, tum ipſe non raró durus: aliquando veró adeó mollis,vt fluat,neque cõſiſtat.Multa impudica, quorum pudet: multa lãguida,quorum miſeret; multa coacta,quorum piget:nam inuitum tractũ eſſe, & multum,& ſæpè, conſtat à ſuis verſibus. Cur enim, ait Scaliger, aliter ſentiam, quamdiu in memoriam habeo tot ſpondæos in Hendecaſyllabis dactylorum expulſores? De *Horatio* multa notauit, multa reprehendit, etiam in verborum collocatione non fuiſſe optimum obſeruatorem, in nonnullis inconcinnum. In Epiſtolis multa interſerit, quæ nulla cohærent affinitate: multi verſus frigidi, aut incompti. De Poëtica ait,eſſe artem ſine arte traditam. In Carminibus Scaligerum offendit idem argumentum tractatum tot locis. Quod ad dictionem attinet ſatis duriuſculus eſt in prima. in alijs falſus, non cohærens ſibi, languidiuſculus,

in-

insuauis,& alia quæ nō est opus huc transferre. Et hæc de Latinis. Quid in Græcos oblatrarit, quis feret? Inepta apud *Theocritum* Cissybij descriptio. vbique laxus,& prolixus. nōnulla in eo nuda,& simplicia,& sine affectu, alia spurca, mōstra potiùs quàm carmina. *Apollonius*, quod attinet ad situm orbis terrarum, quam Geographiā dicunt, sanè quàm imperitus regionum fuisse videtur. De *Homero* quid nō ausus? quid non mentitus? Nihil mirùm itaque si in recentiores censor fuerit seuerior. Multa, quæ in hoc capite retulimus cùm falsò Auctoribus impingantur, sua ruunt inanitate, nec ea refellere opus est. Illud etiam erit certum apud nobilissimos Poëtas, & Scriptores esse, quæ malè, & ineptè dicta sunt. nullùmq; fuisse Scriptorem, qui in aliquo nōn sit reprehensus. Addam corollarij loco, quæ laudat Athenæus ex Cephisodori lib. 3. aduersus Aristotelem, reperiri posse vnum, vel alterum dictum, quæ à summis Poëtis, atque Sophistis parùm rectè sint pronunciata, veluti apud Archilochū, *omnes homines esse deglubendos*, apud Theodorum, *laudandum quod æquum est, verùm cuique iubendum, vt plus æquo habere studeat*; apud Euripidem cum dixit, ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος: apud Sophoclem in Aethiopibus, *Ad gratiam tibi ista dico, nec te volo cogere, verum quod facere solent Viri sapientes, iusta laudato, sectator verò lucrum.*

Idem

Idem alibi dixit; *Mali nihil esse, quod cum lucro iunctum sit.* Longinus quatuor tantùm fatetur fuisse ἀδιάπτωτυς, & ἀμώμητυς in tanta Scriptorum copia, in tanta hominum excellentia, nobilitate, splendore, Apollonium qui Argonautica scripsit; Eratosthenem, qui Herigonem; Bacchylidem, & Ionem Chium Tragicū. Etsi alij hos eosdem in plerisque accusant, & præcipuè Apollonium, cuius Poëma superest.

CAPVT IX.

A sublimi dicendi genere abstinendum, quia arduum, quia periculosum, quia ab ipsa Orationis natura alienum. Mediocre comparandum, quia vires nostras non exuperat. Orationis formam esse dictionem. Liuij, & aliorum opinio de facultate Orationis refellitur. Omnino concluditur mediocre genus melius esse, in quo tamen errata non sint, quàm sublime, cum erratis, & offensiunculis.

QVæ cùm ita sint, vitandum omninò videtur genus illud Orationis sublime, quo præcipites homines lati, multis se erroribus implicant, meritòq; lacessiri vi-

videntur à Criticis. Mediocre genus totis viribus affectandum, in quo lapsus non pertimesces, etsi labi contigerit, lapsus ille non erit neque infelix, neque infaustus. Magnum illud, ideò arduum. Magnum ideò sperandum tantùm, optandum. Magnum ideò periculosum. Terentius in Heautontimor. *Non fit sine periculo facinus magnum, & memorabile*. Ouid. Tristium, eleg.3. *Ardua per præceps gloria vadit iter*. Sic Plato Polit.6. Τὰ γὰρ δὴ μεγάλα ἐπισφαλῆ, καὶ τὸ λεγόμενον, τὰ καλὰ τῷ ὄντι χαλεπά. Et Longinus, τὰ δὲ μεγάλα ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γίνεσθαι τὸ μέγεθος. Et Publius Syrus, *Nunquam periculum, sine periculo vincitur*. & Lactantius lib.7.cap.15. *Plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt cæteris altiora*. Effugienda sunt pericula, abijciendæq; sunt res, ob quas periclitamur; ita enim nobis rectè consulimus. Symmachus de seipso, semper quidem similis arentibus riuulis largiores ripas refugit, vt inopiam breuitas affectata celaret. Prudentis est, & noscentis seipsum; ea vitare quibus impares sumus; quemadmodum insipientis ad peruia quæque ruere; omniaq; tentare, quibus sibi postea periculum parat. Optimè Xenophon. Res item subire, quas possis efficere, quas non possis, ab illis abstinere. Quidquid autem ages promptissimè, atque optimè, & diligenter agere: hoc enim modo minimè accusatum iri. Indigentiæ

au-

autem præsenti optimè consulturum,ac cum senueris facillimè,& sine periculo sufficientissimè victurum puto.

Adde ex Halicarnassei Libel.de Delictis,quę in meditandis Orationibus committuntur;Orationem esse instar corporis, quod à capite ad pedes vsque suis constat partibus, membrisquę, concinnè inter se dispositis, ac totius corporis constitutioni conuenientibus. Quid esset, si in hoc corpore, vel venæ eminerent, vel musculi tumescerent, vel ita se erigeret vna pars, vt altera depressa iaceret? Monstrum diceres; non pulchrè,affabrèq; effictum corpus. In orationę modum excludis, hanc concinnitatem deuastas,inflatis sententijs,inflatis buccis, vnde sequitur flagitiosissimus lapsus; & laudem captas? Vidit id quoque Quintilianus, siue Tacitus Dialog. de Orator. *Oratio autem sicut corpus homini, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur; sed temperatus, ac bonus sanguis implet membra, & exurgit toris; ipsos quoquę neruos rubore tegit, & decore commendat.* & Plinius disertissimè lib. 3. epist. 13. *Nec verò affectanda sunt semper elata, & excelsa, nam vt in Pictura lumen non alia res magis quàm vmbra commendat, ita Orationem tam summittere, quàm attollere decet.*

Mediocrem fluere orationem necesse est,re-

bus

bus ipsis aptè accommodatam, similem,& non inæqualem. sic enim ibis tutissimus. Μὴ ὑπὲρ τὸ πόδα τὸ ὑπόδημα, ne supra pedem calceus. Calceus pedi, vestis corpori aptanda est. Maior impedit, moratur, excidit, quandoq; etiam offendit: minor premit, suffocat, minimaque vi rumpitur, vlceratque pedes. Horat. lib. 1. epist. 10.

Cui non conueniet sua res, vt calceus olim
Si pede maior erit subuertet, si minor vret.

Huc debet referri, & illud Quintil. lib. 6. cap. 1. de Peroratione. *Nam in paruis quidem litibus has Tragædias mouere tale est, quale si personam Herculis, & Cothurnos aptare infantibus velis.* Nec dissimile, quod inter Apophthegmata Agesilai Plutarchus narrat: Hic enim cum Sophistam quendā laudari audiret, quòd res minimas, dicendo, maximas efficeret: At qui, inquit, ne Cerdonem quidem existimauerim, qui paruo pedi magnum calceum inducat. Illa denique vestis decenter induitur, quæ non trahit puluerem, nec in humum demissè calcatur.

Accedit Ciceronis auctoritas, qui dixit, Oratorem oportere, vt humilia subtiliter, magna grauiter, & mediocria temperatè dicat. Ita est. non magis quàm adminiculo aureo Vitem laudatam dabunt; quàm gemmei fræni Equum meliorem; quàm bracteata iuba Leonem generosio-

rosiorem: Comædia phrasim habet humilem, plebeiam,& serpentem: Tragædia verò solemnem, & heroicam. Interdum se effert, & assurgit Comædia, si irascendum est; Tragædia contra, aduersa fortuna sese abijcit. Horatius ad Pisones;

Interdum tamen, & vocem Comædia tollit,
Iratusq; Chremes, tumido delitigat ore;
Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

Terentium quoque ita sentire ex eo patet.

Omnibus nobis vt res dant se, ita magni, atque humiles sumus. Quæ tamen sano modo explicanda sunt, dirumpatur licet Petrus Ramus. Grauitas enim, subtilitas, & mediocritas Orationis, non tantùm ex materia ipsa, subiecto, rebusq; ipsis, quæ elocutione tractantur, oriuntur, sed ex ipsis etiam elocutionis ornamentis. Neque in Comædia sunt omnes Tropi, omnesque sententiarum, & verborũ Figuræ, quæ sunt in Tragædia. neque in omni materia possunt adhiberi. Et vna, eademq; res alijs, & alijs figuris, tropisq; enunciata, aliam, atque aliam facit Orationem. & vno figuræ genere nusquã fingi potest, & Prosopopœia Tragica, & Comica: sed humiliori, languebit; eritq: humilis; grauiori fortiùs inflabitur, & ardebit. Quis vnquam id somniauit, Tropi nullum esse modum, nullam speciem figuræ vel in verbis, vel in sententijs, quæ in paruis, & mediocribus, & magnis

gnis rebus adhiberi non posset? Grauitatis, Subtilitatis, atque Mediocritatis fontes sunt subiectum ipsum, quod pertractatur, & elocutionis ornamentum; illud tamquam materia, hæc veluti forma; ex quibus aliquod vnum efficitur absolutum in vno genere. Materia ex se pura, subiectumque, nullam habet formam, nullam admittit figuram; si habet, ab alio sumpsit. Imperator ex se non est Imperator, quia corpus humanum; sic enim esset & Dauus, & Scepar-nio Imperator, sed quia vnà cum dignitate gerit insignia, & habitus. Exemplum etiam habemus in Coquinaria; quid enim vetat cùm de Rhetoricis agimus Platonem æmulari? In ipsis edulijs varietas est, non quatenus Carnes, sed quia tales sunt aut Bubulæ, aut Vitulinæ: non quatenus Pisces, sed quatenus Scombri, aut Rhombi. nec eadem condimenta cuique edulio aptari possunt. Fingit Pictor etiam humana membra, nulla tamen ex his adest varietas; aliud illis figuram pueri, aliud adolescentis, aliud viri præstat; neque singuli ijsdem coloribus pinguntur; nec varietas est ab eo solo, quod pingitur. Hoc idem affirmauit Dio Chrysostomus in Nesso, cùm dicit Artem circa sermonem, similem esse illorũ arti, qui Pupas fingunt. nam illi formam quandam sumentes, qualecumque illi lutum impresserint, similem formæ speciem efficiunt. Καὶ οὐκ οἶδα ὅπως δο-

κεῖ μοι προσεοικέναι τὸ τῶν φιλοσόφων ἐνίων περὶ τοὺς λόγους ἀμηγέπη τὸ τῶν κοροπλάθων. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τύπον τινὰ παρέχοντες, ὁποῖον ἂν πηλὸν εἰς τοῦτον ἐμβάλλωσιν ὅμοιον τῷ τύπῳ τὸ εἶδος ἀποτελοῦσι, καὶ τῶν φιλοσόφων ἤδη τινὲς τοιοῦτοι γεγόνασιν, ὥστε ὁποῖον ἂν μῦθον, ἢ λόγον λάβωσιν ἕλκοντες, καὶ πλάττοντες κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν, ὠφέλιμον, καὶ φιλοσοφίᾳ πρέποντα ἀπέδειξαν. *Et nescio quomodo mihi Philosophorum quorumdam ars circa sermones similis esse videtur illorum arti, qui pupas fingunt. Nam & illi formam quandam sumentes, qualecumque illi lutum impresserint, similem formæ speciem efficiunt. Et Philosophorum iam tales quidam extiterunt, qui quamcumque fabulam, aut sermonem accepissent, trahentes, & fingentes iuxta suam ipsorum intelligentiam vtilem, & Philosophia dignum reddiderunt.* Quare vna, & eadem sententia, siue subiectum, variè expositum, variam etiam facit orationem. Quam differentiam cum cognouisset Scholiastes Aristophanis, maximum affirmat esse discrimen inter Senem Homerum, & Senem Aristophanicum; ille quippe Heroicus Heroicis sententijs, & ornamentis rem agit, hic humilis, & cum mediocribus hominibus sermonem habens, mediocribus, atque humilibus sententijs: & ornamentis rem pertractat. & Tullius 1. de Offic. statuit, Philosophicum scribendi, seu loquendi genus, debere esse

æquabile, ac moderatum, non concitatum, elatum, ac vehemens, quod Oratoris proprium eſt. etſi Philoſophica materia propter rei dignitatem grauior eſt, & elatior. Neque me latet, eſſe quaſdam res ſua vi graues, & acerbas adeò, vt, qui illas dicunt, graues videantur, etiamſi non grauiter dicant. Demetrius, Καὶ γὰρ πράγματά τινα ἐξ αὐτῶν ἐστι δεινά, ὥστε τοὺς λέγοντας αὐτὰ δεινοὺς δοκεῖν, κἂν μὴ δεινῶς λέγωσιν. Eſt enim grauitas quædam, quæ rebus videtur ineſſe, easq; comitari, ſiue atrocitas non propria dictionis, cùm non inde proficiſcatur. Ideòq; ſupra diximus, ad hoc vt perfectè oratio grauis ſit, vel mediocris, vel ſubtilis, neceſſariò requiri, & ſubiectum, & ornamenta elocutionis talia eſſe: ſed de hoc alibi fuſiùs. Satis ſit in præſentia declaraſſe, ſcribentem, ſiue dicentem, ex ſententia Ciceronis, vt ſuum munus videatur obiſſe, grauiter grauia, mediocriter mediocria, ſubtiliter ſubtilia dicere. Neque laudandum eſſe ſublime illud genus Orationis, in quo cùm te ſubſtinere non poſſis, fœdiſſimè cadere continget; ſed ſobrium, materiæ viribusq; tuis conſentaneum.

Non obſtat illud Eraſmi, qui ait, Ineptè faciunt, qui dictionem ad certas leges adſtringunt, nam & Fabius exiſtimat, illum optimum dicendi genus ſequi, qui pro re, pro loco, pro tempore, pro qualitate Auditorum, perquam

appositè dicit. Certum enim est Artem dicendi, sicut & cæteras Artes, habere sibi modum, & rationem, regulasq; quas præterire nefas. Sint itaque firma, & stabilia dicendi præcepta: At cedunt loco, fortunæ, & tempori, & moribus hominum, & cum opus est, immutantur, & variantur. Esto. Ideò ne illa tamquam præcepta erunt in posterum seruanda? Tolerabit, vt casus, rariorisq; cuiusdam euentus illegitima germina. Quæ si benè cesserint, lætabitur; sin minùs accusabit fortunam, rerumq; vices, iudicioq; prudentis Artificis iudicanda relinquet. Verùm cum Erasmus, dum illa scriberet, de Compositione, Charactereq; Epistolico sermonem instituerent, illius in nostro de Epistolis tractatu verba enucleatiùs examinabimus.

Nunc alteram Tullianæ sententiæ partem breuiter consideremus. Videtur enim rebus tanta inesse grauitas quandoque, vt ad illam explicandam verba dicentem destituant, ita vt rerum magnitudinem oratio ipsa non consequatur, sed rebus ipsis impar languescat, & iaceat. Aristophanes in Ranis. Ἀλλ' ὦ κακόδαιμον ἀνάγκη μεγάλων γνωμῶν, καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τὰ ῥήματα τίκτειν. Item Sallustius initio belli Catilinarij. *Tamen in primis arduum videtur, res gestas scribere, primo quòd facta dictis exæquanda sunt.* Herodotus in Thalia, sub persona Darij ait, multa esse, quæ nequeunt

ora-

oratione declarari, sed facto; alia, quæ oratione declarari possunt, sed vnde nihil clari operis existit. Ὅταν ἢ πολλά ἐστι τὰ λόγῳ μὲν οὐκ οἷά τε δηλῶσαι, ἔργῳ δέ, ἄλλα δέ ἐστι τὰ λόγῳ μὲν οἷά τε, ἔργον δὲ οὐδὲν ἀπ' αὐτῶν λαμπρὸν γίνεται. & Xenophon in Hipparchico ait, Omnia, quæ fieri oporteat non magis prodi literis possunt, quàm omnia futura scire. Γράψαι δὲ πάντα ὁπόσα δεῖ ποιεῖν, οὐδὲν μᾶλλον οἷόν τέ ἐστιν, ἢ τὰ μέλλοντα πάντα εἰδέναι. & Demosthenes Oratione περὶ συμμοριῶν. Οἱ μὲν ἐπαινοῦντες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς προγόνους ὑμῶν, λόγον εἰπεῖν μοι δοκοῦσι προαιρεῖσθαι κεχαρισμένον, οὐ μὴν συμφέροντά γε ἐκείνοις, οὓς ἐγκωμιάζουσι, ποιεῖν. περὶ γὰρ πραγμάτων ἐπιχειροῦντες λέγειν, ὧν οὐδ' ἂν εἷς ἀξίως ἐφικέσθαι δύναιτο τῷ λόγῳ, αὐτοὶ μὲν τοῦ δοκεῖν εὖ λέγειν δόξαν ἐκφέρονται, τὴν δὲ ἐκείνων ἀρετὴν ἐλάττω τῆς ὑπειλημμένης παρὰ τοῖς ἀκούουσι φαίνεσθαι ποιοῦσι. *Qui maiores vestros laudant Athenienses, instituere mihi videntur Orationem auditu iucundam, non eam tamen agere, quæ illis prosint, quos celebrant. Nam cum ijs de rebus dicere conentur, quas mortalium nemo pro dignitate possit explicare: vt ipsi opinionem eloquentiæ consequantur; sic afficiunt, vt virtus illorum minor videatur auditoribus quàm putarant.* Hoc deterruit Liuium 2. Belli Punici, ita vt respuerit narranda, quæ dictis non exæquaret. *Neque aggrediar narrare,* inquit, *quæ differendo minora verò facio.*

 Si vi-

Si vires, ò Romanæ Hiſtoriæ decus, impares; ſanè vis eloquentiæ par. Eſto de his: cætera, quæ narras, diſſerendo, minora vero non feciſſe, quis tam perfrictæ frontis aſſeuerabit? Socordiæ, deſidiæque, non dictorum, non eloquẽtiæ maieſtatis hic fructus. dictis facta æquari poſſunt: norunt periti, imperiti, norunt omnes. Pindarus Neme. Od. 4. Ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει, ὅ, τι κεν σὺν χαρίτων τύχᾳ, γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας. Tu tibi ipſe contra te ipſum VI. ab V. C. *Cum ea quoque*, inquis, *quæ bello geſta eſſent pro faſtigio rerum Oratione etiam magnifica, facta dictis æquando, memoraſſet*. Statius item Sylu. 4. Epiced. in Patrem, *Certè ego magnanimum, qui facta attollere Regũ Ibam altum ſpirans, martem æquare canendo.* In eo Oratorum artificium ſitum affirmat Iulianus Imperator Oratione Encomiaſtica in Conſtantium, cùm aut exiguas res, ampliores dicendo facere, aut de rerum geſtarum magnitudine detrahere, ac minuere potuerint, atque naturæ rerum, Orationis naturam opponere. Οἱ δὲ τῆς τέχνης ἀπολαῦσαί φασιν ἐν τῷ δύνασθαι περὶ τῶν μικρῶν μειζόνως διηγεῖσθαι, καὶ τὸ μέγεθος ἀφελεῖν τῶν ἔργων τῷ λόγῳ, καὶ ὅλως ἀντιτάττειν τῇ τῶν πραγμάτων φύσει δύναμιν τὴν τῶν λόγων.

Certo itaque ſemper quodam itinere in dicendo procedamus; ita vt neque extollatur, ne-

neque deprimatur Oratio, sed medio percurrat tutissima. His adde, non esse illa primo aspectu probanda, quæ non sine summo etiam conatu, atque vigilijs consequi possumus. Siquidem non semper in arduis, ac difficilioribus virtus versatur, quod ab ipsis etiam Stoicis assertum est. Multum operæ, & studij postquam collocaueris, difficultatibus innumeris, atque laboribus exantlatis, nihil tamen neque emolumenti, neque laudis inde habebis. Hoc studium omninò est ματαιοτεχνία. i. *Superuacanea artis imitatio*, vt inquit Quintilianus lib. 2. cap. 20. *quæ nihil sani, nec boni, nec mali habeat, sed vanum laborem, qualis illius fuit, qui grana ciceris, ex spatio distante missa, in acum continuò, & sine frustatione inserebat: quæ cùm spectasset, Alexander, donasse dicitur eiusdem leguminis modio. quod quidem præmium fuit illo opere dignissimum.* Rem hanc, quam vt arduã, & mirificam populus efferrebat, animum prudentissimi Principis non mouit. Cicero, Solinus, Plinius, & alij tradiderunt, Iliada Homeri ita subtiliter in membranis descriptam, vt testa nucis clauderetur. Myrmecides Milesius, & Callicrates Lacedæmonius, quadrigas fecerunt, quæ sub musca possent abscondi. Formicas ex ebore sic sculpserunt, vt portio earum à cæteris secerni nequiuerit; & in sesamo distichon Elegeium literis aureis inscripserunt. Ad-

mirata hæc fuit antiquitas, ſed rudis, & inculta; nemo ſapiens laudauit, vel Princeps prudens in prætio habuit. Quid enim hæc aliud ſunt, quàm vana temporis iactura? Catè Aelianus Var. hiſtor. lib. 1. cap. 16. Ὧν ἐμοὶ δοκεῖν, ὁ σπουδαῖος οὐδέτερον ἐπαινέσεται. Τί γὰρ ἄλλο ἐστὶ ταῦτα, ἢ χρόνου παρανάλωμα.

Præterea præſtantiſſimi iſti Viri, primatesq; in dicendo, dum errant; vel agnoſcunt errata, & non corrigunt, vel ignorant; ſi primum, mali animi eſt, peruerſique; ſi ſecundum, quomodo ergo primi? quomodo laudandi?

Optimum ergo, vt apparet, conſilium. ſanum iudicium, quæ tractare non poſſis, relinquere; periculoſa vitare; Criticorum criminationes diſperdere. Non labi, non errare, quis neget glorioſum, diuinum? Ridiculum in ipſius Circi meta, dum alas pedibus addere debet, & in ſublime rapi victor Athleta, quaſi impetum curſus continere non poſſit, nolentem, ſiue etiã ex induſtria humi fudi, concitatisq; clamore, riſu, pro palma ignominia affici. Miſerum, equum laxatis frænis acriter progredientem, victoria iamiam reportanda exultantem, ac ſuperbientem, fallaci vngula offendere: Reginam ipſam Auium Aquilam, in perniciori alarum remigio, in ipſa prædæ diſcerptione, volatu defeſſam è cælo cadere, humiq; ſerpere. Quid ſummum Oratorem, non amputata oratione, & ab-

& abſciſſa, ſed lata, ſed magnifica; ſed excelſa tonantem, fulgurantem, omnia denique perturbantem, ac miſcentem, ſuis imperijs, victorijs, triumphis omnia commouentem, non relinquere aculeum in Auditorum animis, non pungere, non infigere, ſed vti leuiculum nugatorem, ridicularia emittere, iocos ciere, mouere ſtomachum Auditoribus? vno tempore igne æſtuoſiora, & glacie frigidiora effari: offenſione ſibi parata, cum dedecore; è concione decedere, moleſtum, horrendum, iniquum, flagitioſum, vno verbo impium eſt. Suus cuique etiam viuendi modus eſt, idq; optimum. In ipſo item ſiccando fœno cautum, vt neque peraridum, neque rurſus viride colligatur. Cleobuli, Pythagoræ, Phocylidis, aliorum ſententia, eaq; tutiſſima: Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. Καλὸν δ' ἐπὶ μέτρον ἅπασι. Τὸ γὰρ μέτρον ἐστὶν ἄριστον, Πάντων μέτρον ἄριστον. Sic Theognis, Πάντων μέσ' ἄριστα. & alius neſcio quis, Ἰσότης ἐν πᾶσιν ἀρίστη. Modus autem ſeruandus is eſſe debet, cuius pœnitere non poſſit. Sic exercitationibus corporis, vt refert Ariſtoteles ad Nicomach. lib. 2. cap. 2. ſupra, infrave modum adhibitis, vires debilitantur, & cibi, ac potiones, ſi plus, minusve, quàm par eſt, ſumpſerimus, valetudini aduerſantur. ſi verò moderatè, bonam valetudinem efficiunt, augent, conſeruant. Τά τε γὰρ ὑπερβάλλοντα γυμνάσια, καὶ τὰ ἐλλείποντα φθείρει

τὴν

τὴν ἰσχυν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ποτὰ, καὶ τὰ σιτία πλείω, καὶ ἐλάττω γινόμενα φθείρει τὴν ὑγείαν, τὰ δὲ σύμμετρα, καὶ ποιεῖ, καὶ αὔξει, καὶ σώζει. Ex quo ſua mutuati ſunt Medici, quæ de hac re tradunt. Aequè offendit nimium, ac parum. Modus adhibitus, & ordinem, & honeſtatem, & decus conſeruat: ſecus, labi, trudi, ruere omnia neceſſe eſt. Plinius lib. 1. epiſt. 20. *Optimus tamen modus eſt: quis negat? Sed non minus non ſeruat modum, qui infra rem, quàm qui ſupra. qui aſtrictiùs, quàm qui effuſiùs dicit. Itaque quod audis frequenter, vt illud immodicè, & redundanter, ita hoc ieiunè, & infirmè. alius exceſsiſſe materiam, alius dicitur non impleſſe: æquè vterque, ſed ille imbecillitate, hic viribus peccat. quòd certè, etſi non limatioris, maioris tamen ingenij indicium eſt.* Si exceſſeris itaque, nefas; ſi defeceris, vitium. Si plus iuſto tentaueris, in ſuperbiam incidiſti; ſi minus, inſulſis, leuibusq; conatibus ludibria quædam excitaſti; animoq; demiſſo, vileſces, & cum dedecore decedes.

CAPVT X.

Dissertationis determinatio; in qua opinio praecedenti opposita varijs rationibus, tamquam laudabilior, demonstratur. Magna Ingenia, mediocria floccipendere, captare sublimia, quae sunt propter nouitatem plausibiliora; eaque, etiamsi errant, admirationem magis excitant, quàm contemptum. Lapsusq; illis gloriae, non vitio tribuuntur. Imò necessitate quadam labi; quod & physica ratione confirmatur; lapsibusq; in posterum reddi cautiora. Peccant, quia sunt similia Magnanimis, Locupletibus, Equis ferocibus. Tandem testimonijs Plinij, & Longini concluditur.

His nequaquam permoti, dicimus, omninò appetenda esse sublimia etiamsi periculosa; etiamsi labamur. Magnum ingenium, ingens animus, & seipso grandior, vilia haec, & mediocria despicit, & laudem à minoribus profectam contemnit. alta petit, abruptaq; transcendit, è medioq; hominũ se tollit, sese hominem esse non patiens: &, vt Horatius,

Trans-

Trāsuolat in medio posita, & fugientia captat. Minutioribus hisce sibi complaceant ingenia infelicia, ad minima hæc, non ad grandia nata. Plinius, quem non mediocris laudis gloria stimulabat, vidit omnia hæc, & quia, quæ sui sæculi erant, videbantur illi non ita excelsa, & magnifica, ad aliorum studia se conferebat, æmulabaturq; meliores, lib. I. epist. 5. *Est enim inquam mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia seculi nostri. Nam stultissimum credo, ad imitandum non optima quæque proponere.* Noua enim, & quæ omnibus in promptu non sunt, excitant admirationem, alliciuntq; auditorem. Plutarchus libro de Homero. Ὅτι δὲ ἀεὶ τὰ καινὰ, καὶ ἔξω τοῦ προχείρου θαυμάζεται, καὶ τὴν ἀκρόασιν ἐπάγεται, παντὶ δῆλον. Voluptates etiā suppeditāt; Xenophon in Hierone, τὸ γὰρ τὰ εἰωθότα ὑπερβάλλον τοῦτο παρέχει τὰς ἡδονάς. eaq; veluti παράδοξα afficiunt etiam in alijs rebus. Nam inopinata pleraque, si bona sint, dicebat idem Xenophon in Hipparchico, maiorem hominibus lætitiam adferunt; si dira, plus terroris incutiunt. Ὅσῳ γὰρ τὰ παράδοξα, ἢν μὲν ἀγαθὰ ᾖ, μᾶλλον εὐφραίνοντα τοὺς ἀνθρώπους, ἢν δὲ δεινὰ μᾶλλον ἐκπλήττοντα

Arduum quippe est, absque exemplis res magnas sufficienter ostendere. in quibus etiam vel voluisse, abundè pulchrum, & magnificum est. Quare & eorum errata plausum potiùs, & admi-

admirationem, quàm contemptum commouent. vt enim in robusto homine, grauior morbus, magis etiam inopina mors, metum omnibus incutit, & humanæ fragilitatis non tantùm valentes, sed & robustissimos quosq; admonent, ac cautiores reddunt, (de Catone ebrio, deprehenso, ex Cæsare, & Seneca, nostris in Eustathium Antiochenum notis, diximus,) Sic mendum in Homero, Virgilio, Demosthene, Tullio, non mouent risum, sed admirationem. & vt ab otio, & literis ad arma rem ipsam transferamus, eorum etiam infortunia lacrymas, & commiserationem ab hostibus extorquent, non risum. exemplum sit de Philopœmenis captu, quem Plutarchus narrat in eius vita; cuius verba quia pulcherrima, & ad rem nostram maximè faciunt, non grauabor hic latinè adscribere, ex versione Guarini Veronensis. *Veritus Philopœmen, ne hoste circumducto clauderetur, suorum saluti consulens, reuocatis equitibus, per durissima loca sese recipit. Ipse in extremo agmine sæpenumero in aduersum sese inferebat hostem, cunctos in se polliciens, cùm tamen congredi nullus auderet; & vociferationibus circum agitatis cursibus eminus vterentur. Multoties igitur absistens, dum singulos in tutum iuuenes præmittit, inter frequentes solus hostes destituitur. Nec sic conferre quemquam manum cæpit audacia, procul tantùm ictibus pulsatus, cùm ad lapidosos,*

sos, præcipitesq; locos vrgeretur, nunc huc, nunc illuc crebris perfossum calcaribus equum agitabat. Nec verò seniles anni, aut ingrauescens ætas, quominus salutem compararet, vllo sibi impedimento erat, quippe quam permultùm exercitatam laboribus, alacrem, strenuemque reddiderat. Verùm, cùm debilitatum valetudine corpus, & iam graue, peregrini itineris, & viarum longitudo fatigasset, equus offenso pede, eum deiecit ad terram: quo casu, duro quidem, atque aspero, cùm vehemens, atroxq; capiti dolor infligeretur, aliquamdiu intercepta voce iacuit. Illum igitur hostes expirasse rati, versato corpore spolia rapere cœperunt. Postquam autem caput attollens, oculos aperuit, cateruatim irruentes, manus in terga inflexas colligant, & ingenti dedecore, & contumeliosissimis vocibus hominem ducunt, qui à Democrate hisce se probris affectum iri, ne in somnijs quidem vnquam timuerat. Oppidani hoc accepto nuncio, mirum in modum elati, ad portas confertissimi congregantur: vt verò Philopœmenem præter gloriæ superioris rerum gestarum, triumphorumq; dignitatem raptatum conspexere, maxima ex parte obortis lacrymis, eius miserti condoluere, tam infidam humanarum virium, vanamq; sortem deuouentes. Sic itaque paulatim beneficus de eo sermo apud plerosque spargi cœptus, scilicet recordandam esse priorum beneficiorum memoriam, & libertatis, quam

iecto Nabyde Tyranno illis reparasset. Non dissimili ratione inuidia Macedonum, postquã Philotas desierat esse, in eius misericordiam versa est. Q. Curtius lib. 7. *Philotam sicut recentibus sceleris eius vestigijs iure affectum supplicio censuerant milites; ita, postquam desierat esse, quem odissent, inuidia in misericordiam vertitur*. Nec dissimili exemplo, Seleucus Syriæ Rex, qui in locum Antiochi patris successerat, Beronices, & paruuli fratris parricidio infamis, crudelitate patrata exterruit omnes. Quare in vltionem Ciuitates vniuersæ Asiæ defecerant, seq; Ptolomæo tradiderunt, qui vt Seleucum regno expelleret, mouerat arma. Verùm, cùm naufragio classem comparatam Seleucus amisisset. *Nec quicquam illi*, vt Iustinus refert lib. 27. *ex tanto apparatu, præter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragij comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit: siquidem Ciuitates, quæ odio eius ad Ptolemæum transierant, velut Dijs arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragij misericordiam versæ, imperio se eius restituunt*.

Quis crederet tantis Viris propter rerum attentatarum excellentiam, etiam si cadant, gloriæ non vitio tribui? Appianus in Annibaica. ὑπολαβὼν δὲ, Annibal nempe, ὥσπερ ἦν τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιχειρῆσαι χρόνιόν τε καὶ Καρχηδονίοις ἔσεσθαι, καὶ

με-

μεγάλην αὐτῷ δόξαν, εἰ καὶ τύχοι πταίσας τό, τε ἐγχείρημα οἴσειν. & Xenophon hiſtor. rerum Græc. lib. 7. ὥστε οὐκ ἐδόκει αὐτῷ, Epaminondæ ſcilicet, δυνατὸν εἶναι ἀμαχεὶ παρελθεῖν λογιζομένῳ ὅτι, εἰ μὲν νικῴη πάντα ταῦτα ἀναλύσοιτο, εἰ δὲ ἀποθάνοι καλὴν τὴν τελευτὴν ἡγήσατο ἔσεσθαι, πειρωμένῳ τῇ πατρίδι ἀρχὴν Πελοποννήσου καταλιπεῖν. *Diſcedere abſque pugna omninò ſibi fore impoſsibile exiſtimauit, ita ſecum reputans, ſi vinceret, iſta omnia facilè reſoluturum: ſin verò cadere ſe contingeret, pulchra ſanè morte occubiturum, Patriæ videlicet relinquere imperium Peloponneſi conatũ*. Liuius in Proëm. hiſt. *Etſi in tanta Scriptorum turba, mea fama in obſcuro ſit, nobilitate, ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me conſoler*. Velleius de C. Octauio lib. 2. *Spreuit itaque cæleſtis animus humana conſilia, & cum periculo potiùs ſumma, quàm tutò humilia propoſuit ſequi*. Sic in bellicis rebus viri ſunt, non qui nullum omninò vulnus accipiunt; ſed qui vulneribus victoriam conſequuntur. Καὶ γὰρ, dicebat Philoſtratus, καὶ τὰ πολεμικὰ ἄνδρες, οὐχ οἱ μὴ τρωθέντες, ἀλλ' οἱ νικῶντες ἐν τραύμασιν. Et neſcio quomodo neceſſitate quadam, & fato non tantùm ſunt obnoxij erroribus, ſed etiam labuntur, ita vt ſine lapſu ad grandia quæque aſpirare omninò difficile ſit. Cnæus Pompeius Epiſt. ad Dionyſ. Halicarnaſſeum, vt videre eſt apud eumdem, de Platone verba faciens. Ἐγὼ

δὲ

δὲ καίπερ ἔχων ἀπολογήζασθαι ὑπὲρ ἁπάντων, ἢ τῶν γε πλείστων οὐ τολμῶσιν ἐναντία λέγειν. ἓν δὲ τοῦτο διϊσχυρίζομαι, ὅτι οὐκ ἔστι μεγάλων ἐπιτυχεῖν ἐν οὐδενὶ τρόπῳ, μὴ τοιαῦτα τολμῶντα, καὶ παραβαλλόμενον, ἐν οἷς καὶ σφάλλεσθαι ἐστὶν ἀναγκαῖον. *Equidem quamuis possem respondere, & rationem reddere horum omnium, aut saltem plurium; tamen tibi contradicere non audeo: hoc tamen vnum affirmo, eum res magnas nullo modo consequi posse, qui non eiusmodi etiam audeat, & suscipiat, in quibus errare necesse est.* & Menander: Τὸ πολλὰ τολμᾶν πόλλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ. Qui id enim aliter fieri posset, cùm nullus inter mortales sit ἀδιάπτωτος, nullus ἀναμάρτητος, nullus absque errore? Archytas dicebat: Quemadmodum difficillimè piscem sine spinis inuenias, sic & hominem, qui non dolosum, spinosumq; quiddam habeat admixtum. Aelianus Var. histor. lib. 10. cap. 12. Ἀρχύτας ἔλεγεν, ὥσπερ ἔργον ἐστὶν, εὑρεῖν ἰχθὺν ἄκανθαν μὴ ἔχοντα, οὕτω καὶ ἄνθρωπον μὴ κεκτημένον τι δολερὸν, καὶ ἀκανθῶδες. & Laberius apud Macrob. 2. Saturnal. cap. 7.

Non possunt primi esse omnes omni tempore:
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Cōsistes ægrè; citiùs quàm, quàm ascēdas, decidas.
Cecidi ego; cadet qui sequitur; laus est publica.

Et Oratorum maximus dixit alicubi: *Neminem profectò esse artis suæ tam peritum sagittarium, qui non aliquando erret à scopo.* Atqui

neque Ducem quis inueniet, inquit Dio Chrysostomus Orat. 2. de Melancoma, omni tēpore inuictum; neque strenuum bellatorem, qui non aliquando ex pugna fugerit. Καίτοι οὔτε στρατηγὸν εὕροι τις ἂν ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ ἀήττητον, οὔτε ἀριστέα πολέμων, ὃς οὐκ ἤδη ποτὲ καὶ ἔφυγεν ἐκ μάχης. Seneca, *Nullus fuit vnquam Vir magnus sine aliqua mixtura dementiæ.* ideſt, Nemo ita excellit omni genere virtutum, quin ei aliquid labis, & maculæ aſperſum ſit. Liceat item, quid enim id vetat? aliquantùm in eadem materia vagari ex Petronio in Satyr. *Apes ideò pungunt, quia vbicumque dulce eſt, ibi & acidum inuenies. Nemo noſtrum non peccat; homines ſumus, non Dij.* Et vulgò dicitur, *Vbi mel, ibi fel; vbi vber, ibi tuber.* ex Antiphonte, ἔνθα τὸ ἡδὺ ἐστι πλησίον που καὶ τὸ λυπηρόν. Xenophont. παιδ'. 5. Τὸ γὰρ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας οὐδὲν θαυμαστόν. & lib. 6. Θεοῦ γὰρ, τῶν ἀνθρώπων οὐδένα ἀναμάρτητον διατελοῦντα. Terentius, *Homo ſum, humanum à me nihil alienum puto.* Iuſtinianus Imperator l. 2. §. 14. C. de Vet. Iur. enucl. *Penitus in nullo peccare diuinitatis magis, quàm mortalitatis eſt, quod & à maioribus dictum eſt.* & in l. 3. §. 13. eod. tit. *In nullo aberrare, ſeu in omnibus irreprehenſibilem, ſeu inemendabilem eſſe, diuinæ vtique ſolius, non autem mortalis eſt conſtantiæ, ſeu roboris, quemadmodum & à maioribus dictum eſt.* Conſtantinus Magnus Impera-

perator Oratione ad Sanctorum cœtũ cap. vlt. *Humanum videtur aliquando errare; at in humanis erroribus Deus est omninò expers culpæ.*

Meritò igitur Ouidio pulchrum corpus non probatur; nisi in quo aliqui næui essent. & vt refert Cicero 1.de nat. Deorum: *Næuus in articulo pueri delectat Alcæum, at est corporis macula næuus; illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus, huius collegæ, & familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium, in quem etiam illud est eius:*

Constiteram exorientem aurorã forte salutans,
Cum subito à læua Roscius exoritur:
Pace mihi liceat, Cœlestes, dicere vestra.
Mortalis visus pulchrior esse Deo,

Huic pulchrior Deo? At erat, sicut hodie est, peruersissimis oculis. Quid refert, si hoc ipsum salsum, & venustum illi videbatur? Suo nobis hoc confirmauit Ouidius exemplo, si Senecæ credimus, 2. Declamationum lib. Rogatus enim aliquando ab amicis suis, vt tolleret tres versus, petiuit inuicem, vt tres exciperet, in quos nihil illis liceret. conscripserunt illi quos tolli vellent secretò; hic quos tutos esse vellet. in vtrisque codicillis ijdem versus erant: ex quo apparet summi ingenij Viro non iudicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum. In eandem rem Plinius lib.6.cap. 26. *Dixi de quodam Oratore sæculi nostri, recto*

quidem, & sano, sed parùm grandi, & ornato, vt opinor aptè. Nihil peccat, nisi quòd nihil peccat. Et Martialis lib. 2. Epigr. 12. *Non benè olet, qui benè semper olet.* Hoc hemistichium Hieronymus Petronio Arbitro assignat, epist. ad Demet; *Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris pelliculas olentes, de quibus illud Arbitri est, Non benè olet, qui benè semper olet, Virgo deuitet.*

Ipsi namque veluti Palæstritæ, etiamsi corruerint, citissimè, atque expeditissimè, infortunijs excitantur, reddunturq; in posterum prudentiores: Cypsellus Corinthius in Melissa apud Antonium Monachum serm. 248. Οἱ πεπαιδευμένοι καθάπερ οἱ ἐκ παλαίστρας, κἂν πέσωσι, ταχέως, καὶ ἐπιδεξίως ἐκ τῆς ἀτυχίας ἐξανίστανται. & Xenoph. hist. Græc. lib. 6. Οἶμαι γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὐδένα ἀναμάρτητον διατελοῦντα. δοκοῦσι δέ μοι καὶ εὐπορώτεροι ἐνίοτε γίνεσθαι ἄνθρωποι ἁμαρτάνοντες, ἄλλως τε καὶ ἐὰν κολαςῶσιν ὑπὸ τῶν ἁμαρτημάτων. Simili ratione Artes, & cætera omnia aucta esse videmus non per eos, qui vsitata retinuerunt, sed eorum opera, qui correxerunt, locoq; mouere praua quæque non dubitarunt. Isocrates in Euagora. Ἄλλως τε ἐπειδὴ καὶ τὰς ἐπιδόσεις ἴσμεν γινομένας, καὶ τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, οὐ διὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς καθεστῶσιν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθοῦντας, καὶ τολμῶντας ἀεί τι κινεῖν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων.

Vt autem res ipsa clariùs inspiciatur, eiusq; natura dilucidiùs auditorum animis proponatur, aperiam animi mei sensa, quæ non aliquo tradente, sed experimento meo, naturaq; ipsa accepi. Clarus Scriptor, in scribendo, magnanimo similis est, qui magnis honoribus dignus, talem se æstimat: pericula se indigna vitat; vbi digna offeruntur, animi est prodigus; vitæque discrimen modestè adire non veretur: nihil ei magnum est eorum, quæ in admiratione habẽtur. Mauult res pulchras & elegantes, licet steriles, quàm vtiles, & ornatu destitutas, possidere. gloriæ, quam salutis, studiosior est; omniaque tandem facit, vt immortalem sui memoriam relinquat. Isocrates ibid. Εὑρήσομεν γὰρ τοὺς φιλοτίμους, καὶ μεγαλοψύχους τῶν ἀνδρῶν οὐ μόνον ἀντὶ τῶν τοιούτων ἐπαινεῖσθαι βουλομένους, ἀλλ᾽ ἀντὶ τοῦ ζῆν ἀποθνήσκειν εὐκλεῶς αἱρουμένους, καὶ μᾶλλον περὶ τῆς δόξης, ἢ τοῦ βίου σπουδάζοντας, καὶ πάντα ποιοῦντας, ὅπως ἀθάνατον τὴν περὶ αὐτῶν μνήμην καταλείψωσιν. *Honoris enim cupidos Viros, & magnanimos nõ tantùm istis rebus laudem anteponere constat: sed illustrem obitum etiam vitæ præferre, ac gloriæ, quàm salutis studiosiores esse, omniaq; facere, vt immortalem sui memoriam relinquant.* Est & in Scriptoribus magnanimitas quædam, qua semetipsos agnoscunt dignos laude, à laudatis Viris profecta: quare & pericula subeunt, etiam in manifestissimis præru-

ptis, suæ dignitatis prodigi, dummodo quod arduum est, quod magnum, quod pulchrum, assequantur; nusquam suis commodis animum aduertentes, ideòq; quæ mediocrem laudem allatura sunt, sponte contemnentes. Adeò etiã per omne genus Artium hominis periculo quęsita placent. Pindarus Olymp. I. Ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. & 6. ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ, οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέμνανται καλὸν εἴ τι πονάθῃ. Sic aliquando Virgilius metri regulas; sic Tullius; sic Pindarus, sic Homerus Grammaticorum regulis nec astringuntur, nec debẽt: quin palàm data opera minima hæc paruipendunt. multoties enim nec ipsam conformationem orationis, nec vocum conuenientiam respiciunt. Plura his similia ex Terentio, Sallustio, Homero, Virgilio, Cicerone, Plauto M. Antonius Muretus epist. quadam ad Cardanetum congerit; ad quæ, ne longior sim, te Lector remitto.

Multa furatur calamus, multa magnis ingenijs, magnaq; tractantibus excidunt. Locuples ingenium quasi diuitis heri domus est, quæ, quò maioribus aucta lucris, eò magis seruilibus furtis obnoxia est. In Diuitum pompis, quod superest, est etiam magnificum ob copiam; multaq; in illis esse neglecta oportet. Demetrius. Καὶ καθόλου τὸ ἐπιφώνημα τοῖς τῶν πλουσίων

ἔοικεν ὑποδείγμασιν, γείσοις λέγω, καὶ τριγλύφοις, καὶ πορφύραις πλατείαις. οἷον γάρ τι καὶ αὐτὸ τοῦ ἐν λόγοις πλούτου σημεῖόν ἐστιν. *Et ad summum Epiphonema diuitum pompis simile est, intelligo gesis, & triglyphis, & purpuris laxis, tamquam enim quodam & ipsum diuitiarum Orationis indicium est.* & Longinus. Ἐν δὲ τοῖς μεγέθεσιν ὥσπερ ἐν τοῖς ἄγαν πλούτοις εἶναί τι χρὴ καὶ παρολιγωρούμενον. Sic meminisse debes in magno corpore ab ipsa magnitudine obrui minutam illam perpendiculi, & circini deductionem. Ita Terram totam sphęricam esse volunt, interludentibus ad miraculum tam vastis, extraq; ventos pluuiam, niuem, grandinem, positis montibus, rupibus: & quis nescit laxissima illa camporum, oculosq; fugientia non iacere sine sylua suà cæduà? Sed & post delectissimam peritissimæ manus sementem, Domino suo intercrescere non semel eradicanda? clariùsq; adhuc de magnitudine maris Porphyrius lib. 1. περὶ ἀποχ. ἐμψύχ. Ὕδωρ μὲν γὰρ ὀλίγον συνακτὸν ἐάν τι δέξηται ῥυπαρὸν εὐθέως μιαίνεται, καὶ δηλοῦται ὑπὸ τῆς ῥυπαρίας, βυθὸς δὲ οὐ μιαίνεται: & superiùs dixerat: ἀλλὰ διὰ τοῦτο δὴ πάντα δέχεται γινώσκουσα τὸ ἑαυτῆς μέγεθος, καὶ οὐκ ἀποστρέφεται τὰ εἰς ἑαυτὴν ἐρχόμενα. Quare & verbulum, & syllabam, vel doctissimis excidere, non est cur miremur. Sed cùm de magnitudine rerum sermo incidit. Quis ignorat grandia, & immensa admirationem

mortalibus afferre, concinna, & exquiſita, ſi parua ſunt, elegantiæ tantùm, artiſq; laudem mereri. Riuulos pellucidos quamuis, & vtiles minimè laudamus, Rhenus, Iſter, & Oceanus, & quidquid ſupra modum humanum excedit, & extollitur, ſtupori eſt. Ingens opus, immenſum monumentum, ingentes artificis vires, immenſos ſpiritus arguit. Quare non placet Callimachi ſententia Hymno in Apollinem,

Ὁ Φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ᾽ οὔατα λάθριος εἶπεν·
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ᾽ ὅσα πόντος ἀείδει.
Τὸν Φθόνον ὡπόλλων ποδί τ᾽ ἤλασεν, ὧδέ τ᾽ ἔειπεν.
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ᾽ ὕδατι συρφετὸν ἕλκει,
Δηοῖ δ᾽ οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι,
Ἀλλ᾽ ἥτις καθαρή τε, καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον.

Hæc ita vertit Bonauentura Vulcanius.

Fortè ſuſurrat clam Phœbi Liuor in aurem;
Non miror vatē, qui non mare verſibus æquet:
Liuorem contra pepulit pede Phœbus, & infit;
Aſſyrius magnā Euphrates vim voluit aquarū,
Et multa illuuie, fœdaq; it turbidus vlua.
Sed nec aquā Cereri è quouis ſacra turba Meliſſæ
Fonte petunt: aſt illimi qui purus arena
Emicat; hinc ſummum delibat fontis honorem.

Ad hoc reſpexiſſe videtur Athenæus, Καλλίμαχος ὁ Γραμματικὸς ἔλεγε, τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶ)

τῷ

τῷ μεγάλῳ κακῷ, cui acceſſiſſe ſententiæ viſi ſunt Martialis; & Catullus. Sed longè aberrarunt à veritate.

Ingenia ergo hæc ægrè cohibentur: quemadmodum generoſi Canes non ſuſtinent domi relinqui, cæteris venatum exeuntibus, ſed conſequuntur, nonnumquam etiam ruptis vinculis; aliquando perturbant alios in opere, propter deſiderium vocem emittentes, & ante tempus feram excitantes; interdum etiam proſilientes capiunt ipſi. Sic Cyrus apud Xenophontem παιδ. I. aduerſus Aſſyrios animi generoſa quadam indole motus, ferebatur temerè, ſolùm illud videns, vt interceptum feriret, ac propterea nihil proſpiciens, ſicq; nihil, etiam hoſtibus laborantibus, & in agmen ſtipatis, remiſit, ſed præ gaudio, & Auunculum inclamans, diſcrimina haud metuebat, dũmodo hoſtes fugaret, ac funderet. Item aduerſus artem contumacia ſunt; vt enim Sonipes ſtare loco neſcit, & frœna ferox ſpumantia mandens, ignem naribus efflat; ſic pariter excelſus, ac ſeipſo maior animus. Exempla habes apud Longinum examinata. Sic Gregorius Magnus, neglecta Romani eloquij puritate, ait, *Iniquum eſſe, ſi Grammaticorum vinculis Sanctus ille Spiritus coarctetur*. Contumacia hæc, vel eſt ſimplex licentia, vt quando poſſunt corrigere, & nolunt; vt exemplum ſupra de Ouidio attulimus; & tunc

ob

ob præclaras illius Auctoris virtutes tolerabilis est, ac conniuentibus oculis permittitur, vt magno Viro, & de Republica benemerito: vel est, cum ab arte discedunt, cuiusdam egregij impetus vi, & rei præstantioris desiderio; sic Miles fortis alicuius præclari facinoris cupiditate extra aciem, aut extra vallũ procedit: sic Poëtæ pleni Deo altiora quædam, arte reluctante, petunt: sic Oratores, dum calent, etiam Pericleo more tonant, & fulgurant. Hoc factum si artem consideres, legesq; illius referas, peccatum est. sin minùs, laude dignum. Si in Milite ad legem Imperatoris examines, poteris, vt Torquatus, etiam in filio punire. Militaris hoc poscit disciplina, qua sublata, corruet & Respublica. Sic Auctores dum animi delectationem, dum scribendi libertatem cõmendant, non malè quidem audebunt. Sed si quæ ex hoc sequantur Artibus incommoda, artis lege metiamur, errant, & peccant. Est & tertia contumacia cum necessitate quadam coniuncta, de qua minimè est litigandum; vt enim, salua lege, quæ iubebat mœnia neminem transire, Epaminondas Patriam seruare non poterat; sic Scriptoribus quædam, præsertim Poëtis Epicis, & Comicis, & Tragicis ingruit necessitas, ante non præuisa, vt aut abijciendum sit opus, aut tali contumacia sit erumpendum. Verum est autem, ex ijs, qui amicos nocendi causa

de-

decipiunt, iniuſtiorem eum eſſe, qui volens fallat, illo, qui fallat nolens. non minùs tamen literatum eum eſſe exiſtimabimus, qui, volens, non rectè ſcribit, & legit, illo, qui nolens. Nam poterit is, vbi volet, etiam rectè vtrumque facere: quare erit literatus, qui volens non rectè ſcribit; qui nolens, illiteratus. & ratio habetur in promptu ex Ariſtotele: Qui enim in arte errat ſponte, melior eſt, quàm qui inuitus, quatenus eſt artifex: in prudentia verò non ita, ſed contrà: Qui enim ſponte prudentiam corrupit, peior eſt, quàm qui inuitus. Animaduertendum item eſt, ſæpenumero errores ſuos palam hos Auctores fateri, quandoque etiam excuſare, & vtplurimùm validiſſimis rationibus defendere; quæ vt exequi debeant, aliàs fuſiùs dicemus. Verùm Vir magnanimus minimè poteſt animum inducere, vt ſe delicti accuſet, nec pœnam ſibi remitti petere, humiliaq; hæc, quæ ſunt præter ingenium ſuum, refugit; nec aliquid eorum inficiatur, quæ contra artem ſcripſit, vel dixit, pudendum enim ducit videri peccaſſe, & monita pertinaciter contemnit; etiamſi in pudenda pericula neceſſariò ſe incidere animaduertat.

Præterea genus hoc dicendi ſummum eſt, perfectum eſt: in ipſa eminentia extremum; vltrà progredi non poteſt; mora in eo difficilis. Quid? retro referri neceſſe eſt. In naturalibus

etiam verum . cùm quis ad summam perfectionem, & eminentiam peruenerit, cùm vltrà progredi, cùm in eadem permanere, atque consistere non possit, retrò reuoluitur. Paterculus Hist. lib. 1. in fine. *Alit æmulatio ingenia. & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod summo studio petitum est, ascendit in summum. difficilisq; in perfecto mora est, naturaliterq; quod procedere non potest, recedit.* Hippocrates sect. 1. Aphoris. 3. more suo hæc extulit diuinissimè. Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι. λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον. quæ lib. 2. cap. 11. sic vertit elegantissimè Cornelius Celsus. *Ante aduersam autem valetudinem, vt suprà dixi, quædam notæ oriuntur, quorum omnium commune est, aliter se corpus habere, atque consueuit; neque in peiùs tantùm, sed etiam in meliùs; Ergo si plenior aliquis, ac speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet; quæ quia in eodem habitu subsistere, neque vltrà progredi possunt, ferè retro quasi ruina quadam reuoluuntur.*

Siue igitur erremus, siue non, omninò nobis conandum est, vt sublime dicendi genus, quãtum fieri potest, assequamur, nostramq; dictionem ad illud efformemus. quod si id non asse-

que-

quemur, conatus saltem noster in secundis, tertijsve consistet. Audi Lucij Accij sententiam ex Crinito: *Idem Accius cùm iter faceret in Asiam, diuertit ad Poëtam Pacuuium, qui Tarenti agebat, cumq; eo dies aliquot versatus est: & cùm Atreum suam illi recitaret, laudauit eam Pacuuius: & simul grandia inquit, & sonora esse, quæ ab Accio scripta forent: videri tamen sibi duriuscula, & subacida. Quod Accius quidem minimè negauit: nec se, inquit, pœnitere, quoniam idem ferme ingenijs solet accidere, quod pomis: quæ enim dura admodum, & acerba nascuntur, paulatim mitia fiunt, atque perfectiora redduntur: quæ vieta gignuntur, & mollia, nunquam ad veram frugem, & maturitatem perueniunt. Sic, inquit Accius, sentiendum est de hominum ingenijs.* Idem confirmat Cicero in Oratore: *Prima sequentem honestum est in secundis, tertijsq; consistere.*

Quæ cùm ita sint, quis erit in dicendo modus? Quis arduum illud, magnumq; dicendi genus, etsi periculosum, etsi præruptum, etsi criminationibus hominum magis obnoxium, summo animi conatu non affectabit? Ratio hæc, & ad sublimia quæque appetitus nullum habet modum, nullis circumscribitur terminis, in immensum suas extendit vires. Defectus peccato adscribitur: Actio quò probior eò perfectior; quò intensior eò potior. Plus nimio

digni-

dignitatem addit, non vitio vertitur. Nam, quod aiunt; Nimia resecari oportere, in hisce conatibus locum non habet. Quid enim potest esse bonum, ac probum, quod idem nimium esse possit? In cogitationibus, in Disciplinis, in eloquentia dum tendis ad summum, caue spectes limites, excede metas, audax intende cursum; adde vires, omni noxa, omni culpa maior, numquam finem attinges. Eloquens es, artem sectaris dicendi, idonea verba, sententiasq; rebus magnificè inuentis accommodas; sume animos, liber vagare, præceps aude; nulla labe fœdabere, quauis eris accusatione superior. Immò illa perfectionis in Oratore summa, legibus solui, metam transgredi. Summo enim generi, perfectoque, peculiari priuilegio hoc concessum est, vt qui illi operam nauant, legibus parere non teneantur. Concludam duorum præclarissimorum ingeniorum testimonijs, rationibusq; meam hanc Dissertationem. Alterum erit Longini, qui in Libello de Sublimi genere dicendi hanc Quæstionem, satis argutè propositam, dissoluit acutissimè, rationibusq; probatissimis, & efficacissimis demonstrando expedit: Alterum erit Plinij Secundi, qui lib. 9. epist. 26. ad Lupercum eidem Quæstioni respondet accuratissimis verbis, lectissimisq; Homeri, M. Tullij, Demosthenis, denique Aeschinis, (quorum in Oratoria arte Virorum!) testi-

mo-

monijs hanc nostram sententiam confirmat. Verba Longini sunt. Αρ' οὐκ ἄξιον ἔτι διαπορῆσαι περὶ αὐτοῦ τούτου καθολικῶς, πότερόν ποτε κρεῖττον ἐν ποιήμασι, καὶ λόγοις, μέγεθος ἐν ἐνίοις διημαρτημένον, ἢ τὸ σύμμετρον μὲν ἐν τοῖς κατορθώμασιν, ὑγιὲς δὲ πάντῃ, καὶ ἀδιάπτωτον. καὶ ἔτι νὴ Δία, πότερόν ποτε αἱ πλείους ἀρεταὶ τὸ πρωτεῖον ἐν λόγοις, ἢ αἱ μείζους δικαίως ἂν φέροιντο. ἔστι γὰρ ταῦτ' οἰκεῖα τοῖς περὶ ὕψους σκέμματα, καὶ ἐπικρίσεως ἐξ ἅπαντος δεόμενα. ἐγὼ δ' οἶδα μὲν, ὡς αἱ ὑπερβολαὶ μεγέθους φύσεις ἥκιστα καθαραί. τὸ γὰρ ἐν παντὶ ἀκριβὲς, κίνδυνος σμικρότητος. ἐν δὲ τοῖς μεγέθεσιν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἄγαν πλούτοις, εἶναί τι χρὴ καὶ παρολιγωρούμενον. μήποτε δὲ τοῦτο καὶ ἀναγκαῖον ᾖ, τὸ τὰς μὲν ταπεινὰς καὶ μέσας φύσεις, διὰ τὸ μηδαμῆ παρακινδυνεύειν, μηδὲ ἐφίεσθαι τῶν ἄκρων, ἀναμαρτήτους ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἀσφαλεστέρας διαμένειν, τὰ δὲ μεγάλα ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γίνεσθαι τὸ μέγεθος. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἐκεῖνο ἀγνοῶ τὸ δεύτερον, ὅτι φύσει πάντα τὰ ἀνθρώπεια ἀπὸ τοῦ χείρονος ἀεὶ μᾶλλον ἐπιγινώσκεται, καὶ τῶν μὲν ἁμαρτημάτων ἀνεξάλειπτος ἡ μνήμη παραμένει, τῶν καλῶν δὲ ταχέως ἀπορρεῖ. παρατεθειμένος δ' οὐκ ὀλίγα καὶ αὐτὸς ἁμαρτήματα, καὶ Ὁμήρου, καὶ τῶν ἄλλων ὅσοι μέγιστοι, καὶ ἥκιστα τοῖς πταίσμασιν ἀρεσκόμενος, ὅμως δὲ οὐχ ἁμαρτήματα μᾶλλον αὐτὰ ἑκούσια καλῶν, ἢ παροράματα δι' ἀμέλειαν εἰκῆ που, καὶ ὡς ἔτυχεν, ὑπὸ μεγαλοφυΐας ἀνεπιστάτως παρενηνεγμένα, οὐδὲν ἧττον οἶμαι τὰς μείζονας αἰτίας, εἰ καὶ μὴ ἐν πᾶσι διομαλίζοιεν, τὴν τοῦ πρωτείου ψῆφον μᾶλ-

λον ἀεὶ φέρεσθαι, κἂν εἰ μὴ δι' ἑνὸς ἑτέρου, τῆς μεγαλοφροσύνης αὐτῆς ἕνεκα. ἐπεί τοι γε καὶ ἄπτωτος ὁ Ἀπολλώνιος ὁ τῶν Ἀργοναυτικῶν ποιητής· κἀν τοῖς Βουκολικοῖς, πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν, ὁ Θεόκριτος ἐπιτυχέστατος. ἆρ' οὖν Ὅμηρος ἂν μᾶλλον, ἢ Ἀπολλώνιος ἐθέλοις γενέσθαι; τί δὲ Ἐρατοσθένης ἐν τῇ Ἠριγόνῃ (διὰ πάντων γὰρ ἀμώμητον τὸ ποιημάτιον) Ἀρχιλόχου πολλὰ, καὶ ἀνοικονόμητα παρασύροντος, κἀκεῖνα τῆς ἐκβολῆς τοῦ δαιμονίου πνεύματος ὁρμῇ, ἣν ὑπὸ νόμον τάξαι δύσκολον, ἆρα δὴ μείζων ποιητής; τί δ' ἐν μέλεσι μᾶλλον ἂν εἶναι Βακχυλίδης ἕλοιο, ἢ Πίνδαρος; καὶ ἐν τραγῳδίᾳ Ἴων ὁ Χῖος, ἢ νὴ Δία Σοφοκλῆς; ἐπειδὴ οἱ μὲν ἀδιάπτωτοι, καὶ ἐν τῷ γλαφυρῷ πάντῃ κεκαλλιγραφημένοι. ὁ δὲ Πίνδαρος, καὶ ὁ Σοφοκλῆς, ὁτὲ μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις, καὶ πίπτουσιν ἀτυχέστατα. ἢ οὐδεὶς ἂν εὖ φρονῶν ἑνὸς δράματος τοῦ Οἰδίποδος εἰς ταὐτὸ συνθεὶς τὰ Ἴωνος ἀντιτιμήσαιτο ἑξῆς; Et inferiùs. Ἐπὶ μέντοι τοῦ Πλάτωνος, καὶ ἄλλη τίς ἐστιν, ὡς ἔφην, διαφορά. οὐ γὰρ μεγέθει τῶν ἀρετῶν, ἀλλὰ καὶ τῷ πλήθει πολὺ λειπόμενος ὁ Λυσίας, καὶ ὁ πλεῖον ἔτι, τοῖς ἁμαρτήμασι περιττεύει, ἢ τῶν ἀρετῶν λείπεται. τί ποτ' οὖν εἶδον οἱ ἰσόθεοι ἐκεῖνοι, καὶ τῶν μεγίστων ἐπορεξάμενοι τῆς συγγραφῆς, τῆς δ' ἐν ἅπασιν ἀκριβείας ὑπερφρονήσαντες; πρὸς πολλοῖς ἄλλοις ἐκεῖνο, ὅτι ἡ φύσις οὐ ταπεινὸν ἡμᾶς ζῷον, οὐδ' ἀγεννὲς ἔκρινε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ὡς εἰς μεγάλην τινὰ πανήγυριν, εἰς τὸν βίον, καὶ εἰς τὸν σύμπαντα κόσμον ἐπάγουσα, θεατάς τινας τῶν ὅλων αὐτῆς ἐσομένους, καὶ φιλοτιμο-

τάτους ἀγωνιστὰς, εὐθὺς ἄμαχον ἔρωτα ἐνέφυσεν ἡμῶν ταῖς ψυχαῖς παντὸς ἀεὶ τοῦ μεγάλου, καὶ ὡς πρὸς ἡμᾶς δαιμονιωτέρου. διόπερ τῇ θεωρίᾳ, καὶ διανοίᾳ τῆς ἀνθρωπίνης ἐπιβολῆς, οὐδ' ὁ σύμπας κόσμος ἀρκεῖ, ἀλλὰ καὶ τοὺς τοῦ περιέχοντος πολλάκις ὅρους ἐκβαίνουσιν αἱ ἐπίνοιαι. καὶ εἴ τις περιβλέψαιτο ἐν κύκλῳ τὸν βίον, ὃς πλέον ἔχει τὸ περιττὸν ἐν πᾶσι, καὶ μέγα, ταχέως εἴσεται πρὸς ἃ γεγόναμεν, ἔνθεν φυσικῶς πως ἀγόμενοι μὰ Δί' οὐ τὰ μικρὰ ῥεῖθρα θαυμάζομεν, ἢ καὶ διαυγῆ, καὶ χρήσιμα, ἀλλὰ Νεῖλον, καὶ Ἴστρον, ἢ Ῥῆνον, πολὺ δ' ἔτι μᾶλλον τὸν Ὠκεανόν. οὐδέ γε τὸ ὑφ' ἡμῶν τουτὶ φλογίον ἀνακαιόμενον, ἐπεὶ καθαρὸν σώζει τὸ φέγγος, ἐκπληττόμεθα τῶν οὐρανίων μᾶλλον, καὶ τῶν πολλάκις ἐπισκοτουμένων, οὐδὲ τῶν τῆς Αἴτνης κρατήρων ἀξιοθαυμαστότερον νομίζομεν, ἧς αἱ ἀναχοαὶ, πέτρους τε ἐκ βυθοῦ, καὶ ὅλους ὄχθους ἀναφέρουσι, καὶ ποταμοὺς ἐνίοτε τοῦ γένους ἐκείνου, καὶ αὐτοῦ μόνου προχέουσι πυρός. ἀλλ' ἐπὶ τῶν τοιούτων ἁπάντων ἐκεῖν' ἂν εἴποιμεν, ὡς εὐπόριστον μὲν ἀνθρώποις τὸ χρειῶδες, ἢ καὶ ἀναγκαῖον, θαυμαστὸν δ' ὅμως ἀεὶ τὸ παράδοξον. Οὐκοῦν ἐπί γε τῶν ἐν λόγοις μεγαλοφυῶν, ἐφ' ὧν οὐκέτ' ἔξω τῆς χρείας καὶ ὠφελείας πίπτει τὸ μέγεθος, προσήκει συνθεωρεῖν αὐτόθεν, ὅτι τοῦ ἀναμαρτήτου πολὺ ἀφεστῶτες οἱ τηλικοῦτοι, ὅμως πάντες εἰσὶν ἐπάνω τοῦ θνητοῦ. καὶ τὰ μὲν ἄλλα τοὺς χρωμένους ἀνθρώπους ἐλέγχει, τὸ δ' ὕψος ἐγγὺς αἴρει μεγαλοφροσύνης Θεοῦ. καὶ τὸ μὲν ἄπταιστον οὐ ψέγεται, τὸ μέγα δὲ καὶ θαυμάζεται. τί χρὴ πρὸς τούτοις ἔτι λέγειν; ὡς ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν ἕκα-

στον ἅπαντα τὰ σφάλματα, ἑνὶ ἐξωνεῖται πολλάκις ὕψει, καὶ κατορθώματι, καὶ τὸ κυριώτατον, ὡς εἴ τις ἐκλέξας τὰ Ὁμήρου, τὰ Δημοσθένους, τὰ Πλάτωνος, τὰ τῶν ἄλλων, ὅσοι δὴ μέγιστοι, παραπτώματα πάντα, ὁμόσε συναθροίσειεν, ἐλάχιστον ἄν τι, μᾶλλον δ' οὐδὲ πολλοστημόριον ἂν εὑρεθείη τῶν ἐκείνοις τοῖς ἥρωσι πάντη κατορθουμένων. διὰ ταῦθ' ὁ πᾶς αὐτοῖς αἰὼν, καὶ βίος οὐ δυνάμενος ὑπὸ τοῦ φθόνου παρανοίας ἁλῶναι, φέρων ἀπέδωκε τὰ νικητήρια. καὶ ἄχρι νῦν ἀναφαίρετα φυλάττει, καὶ ἔοικε τηρήσειν,

Ἔστ' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ.

πρὸς μέντοι γε τὸν γράφοντα, ὡς ὁ Κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος οὐ κρείττων, ἢ ὁ Πολυκλείτου Δορυφόρος, παράκειται πρὸς πολλοῖς εἰπεῖν, ὅτι ἐπὶ μὲν τέχνης θαυμάζεται τὸ ἀκριβέστατον, ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν ἔργων τὸ μέγεθος. φύσει δὲ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος· κἀπὶ μὲν ἀνδριάντων ζητεῖται τὸ ὅμοιον ἀνθρώπῳ, ἐπὶ δὲ λόγου τὸ ὑπεραῖρον, ὡς ἔφην, τὰ ἀνθρώπινα. προσήκει δ' ὅμως (ἀνακάμπτει γὰρ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἡμῖν τοῦ ὑπομνήματος ἡ παραίνεσις) ἐπειδὴ τὸ μὲν ἀδιάπτωτον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τέχνης ἐστὶ κατόρθωμα, τὸ δ' ἐν ὑπεροχῇ πολλῇ οὐχ ὁμότονον, μεγαλοφυΐας βοήθημα τῇ φύσει πάντη πορίζεσθαι τὴν τέχνην. ἡ γὰρ ἀλληλουχία τούτων ἴσως γένοιτ' ἂν τὸ τέλειον. τοσαῦτα ἦν ἀναγκαῖον ὑπὲρ τῶν προτεθέντων ἐπικρῖναι σκεμμάτων. Hæc ita vertit Gabriel de Petra. *An non illud etiam de hoc ipso quærere vniuersè operæpretium est? Vtrum tum in poëmatibus, tum in alijs orationibus præstet magnitudo, quæ in-*

non-

nonnullis erret, an omnibus numeris absoluta, probata, & omnis immunis errati mediocritas? Atque adeò [quod quaeritur] ampliùs; Vtrum plures virtutes in oratione, an quae maiores sunt iure primas teneant? Ista enim doctrinae de sublimi oratione quaestiones maximè propriae, adeoq; quid super his statuendum sit omnino requirentes. Ego verò scio excellentem, & exuberantem magnitudinem natura minimùm puram esse: Quod enim vsquequaq; accuratum, periculum est, ne in paruum & humile degeneret. quod in maximis fit diuitijs, id cernere est in orationis magnitudine, [nempe] necesse est aliquid fermè negligi. Ac nescio an hoc quoque necessarium sit, humilia, & mediocria ingenia, quòd nusquam periclitentur audaciùs, nec quae summa sunt affectent, errare ferè non posse, & tutiora permanere; Granditatem autem ipsam per se lubricam esse, & periculosam; sed neque me latet alterum illud, in rebus humanis naturà ita comparata omnia, vt ab eo, quod deterius est, dijudicentur, censeãturq; potiùs: Adeòque peccatorum indelebilem permanere, vt contrà eorum, quae praeclara sunt, citò effluere memoriam. Propositis non paucis tum Homeri, tum aliorum maximorum quorumque auctorum erroribus, tametsi mihi minimè [omnium] probentur, non errata quidem voco, cùm sint potiùs voluntaria [dicenda] quàm hallucinationes per negligentiam temere, & forte fortuna à

magno ingenio citra animaduersionem admissæ: nihilominus censeo maiores virtutes, etsi in omnibus non æqualiter, & planè se habeant, meo calculo primas tenere semper, & si [maximè] ob nullam aliam causam [sæpe] ipsius sublimitatis gratia. Quandoquidem [vti hìc vtamur aliqua Communicatione] numquam labitur Apollonius Argonauticorum scriptor, & in Bucolicis, paucis exceptis exoticis, Theocritus fœlicissimus est, vtrum te malles factum Homerum, an verò Apollonium? Quid Eratosthenes in Erigone (omnibus enim partibus absolutissimum illud Poëmation) an Archilocho, quòd multa, & quidem haud ita benè disposita malè tractet, idq; illo erumpentis, eructantisque [magna] Diuini Spiritus impetu, quem legi subijcere difficile, maior Poëta [censendus est]? in Lyricis quoque quid? vtrum te præoptares esse Bacchylidem an Pindarum, & in tragœdia Ionem illum Chium, aut certè Sophoclem ipsum? siquidem illi nusquam lapsi deprehenduntur, & quoad venustatem prorsus compti, & elegantes. At tum Pindarus, tum Sophocles interdum incitatione quadam, & vehementia veluti omnia incendunt, ac postmodum non seruata proportionis ratione extinguuntur sępe, caduntque infœlicissimè; an aliquis [ad hæc] sana mente præditus, vel vnico fabulæ, quæ Oedipus inscribitur, actu, quamlibet in vnum collata Ionis omnia [scripta] digna inde dixerit? In Platone porrò

rò alia quadam eſt, vti dicebam, differentia. non enim quoad magnitudinem [tantùm,] ſed etiam quoad multitudinem virtutum multo inferior Lyſias, & , quod amplius eſt, pluribus exſuperat erratis quàm virtutibus deficit. Quid igitur diuini illi [auctores] viderunt, tum quæ maxima ſunt inter ſcribendum captantes, tum in omnibus accuratam illam diligentiam deſpicientes? Præter multa alia illud, quod natura non nos humile animal, aut ignauum, hominem [inquam] ſtatuit, ſed tanquam in magnam aliquam Panegyrim, in vitam, adeoq; in hunc vniuerſum orbem [ceu] ſpectatores quosdam cunctorum, quę ſunt in ipſo, futuros, adeoque honoris, & gloriæ cupidiſſimos certatores introducens, inexpugnabile continuò ingenerauit deſyderium in animis noſtris cuiuſuis rei magnæ, & tanquam noſtro reſpectu diuinioris. Quapropter humanæ mentis contemplationi, & cogitationi ne totus quidem ſufficit orbis. Quinimo cuncta ambientis [cæli] terminos ſæpe excedunt cogitationes [noſtræ] & ſi quis vitam eam vndique circunſpexerit, quæ quod excellens in omnibus, & magnum magis obtinet, intelliget illico ad quænam nati ſimus: Hinc fit, vt tanquam naturæ quodam inſtinctu, non quidem, quæ parua ſunt, vel lympida, & commoda fluenta miremur, ſed Nilum, & Iſtrum, *aut* Rhenum, *multòque magis* Oceanum *ipſum: nec hanc, vel illam à nobis accenſam flammulam, quoniam pu-*

rum seruat splendorem : cælestes, & ingentes magis stupemus [flammas] etsi subinde obscurantur, & atra teguntur caligine : neque admirabilius quicquam esse putamus Aetna *crateribus [quippe] cuius meatus lapides ex profundo gurgite, atque integra, solidaq; saxa egerunt, fluuiosq; interdum illius generis, hoc est totos igneos, effundunt. Quare ex omnibus illud statuamus, quod vtile, aut etiam necessarium, hominibus facilè parari posse; verumtamen præclarum semper [videri] & admirabile, quod nouum est, præterque hominum expectationem. In orationis igitur, verborumq; granditate, in quam non iam extra necessitatem, vtilitatemq; cadit magnitudo, ex hoc ipso loco simul obseruandum à peccandi immunitate longè quidem remotos tantos viros, nihilominus tamen omnes, quod caducũ, & mortale est, superare, atque quod ad alia quidem attinet, eos à quibus vsurpantur arguunt homines tantùm: Sublimitas verò proximè ad Dei euehit maiestatem: ipsa porrò ab erratis immunitas non vituperatur quidem, at quod magnum est etiam suspicitur. Sed quid plura ad hæc attinet dicere? tantorum scriptorum verbi gratia vnumquodq; omnia vitia vnà sępe redimere, & cõpensare sublimitatis virtute, &, quod præcipuum est, si quis annotarit, & simul in vnũ congesserit* Homeri, Demosthenis, Platonis, *& quorumuis aliorum maximorũ auctorum errata, minimũ quid [illa,] atque adeò ne*

mil-

millesimam quidem deprehensum iri partem eorũ, quæ passim dicuntur, scribunturq; præclarè ab illis Heroïbus. Quam ob causam etiam omnis ætas, omnesq; omni æuo mortales, qui modò liuoris dementia capi non potuerunt, Victoriæ præmia illis deferenda semper censuerunt, & ad hunc vsque diem non auferenda conseruant, & conseruaturi videntur,

Donec erunt fontes, dũq; arbos celsa virescet.

Eum igitur, qui scribit, Colossum, in quo sit aliquid vitij non præstare Polycleti [nobilissimi illius statuarij] Doryphoro, promptum est excipere hoc, præter alia multa, responso: in arte quidem accuratam diligentiam, in naturæ verò operibus suspici magnitudinem. Natura autem homo est rationis particeps: atque in statuis quæritur, quod homini simile est, in Oratione verò, quod superat, (vti dicebam) quæ sunt humana. Par est tamen (redit enim vnde orta erat in hac commentatione instituta nobis adhortatio) quum non esse erratis obnoxium, vt plurimùm artis sit operæpretium quoddam, nec in multa sublimitate [reperiatur facilè] vnus, idemq; tenor, vna eademq; spiritus, ac toni intentio, vti ad perficiendam orationis granditatem ars naturæ succurrat: quippe in quorum cohærentia mutua forte ipsa sit constituenda perfectio, atque hæc quidem, ad ea, quæ disquirenda proposita fuerant, demum constituere [nobis] necesse fuit.

Plinij verò verba sunt. *Dixi de quodam Oratore sæculi nostri, recto quidem, & sano, sed parùm grandi, & ornato, vt opinor aptè;* Nihil peccat, nisi quòd nihil peccat. *debet enim Orator erigi, attolli, interdum etiam efferuescere, efferri, & sæpè accedere ad præceps. Nam plerùmque altis, & excelsis adiacent abrupta: tutius per plana, sed humilius, & depressius iter: frequentior currentibus, quàm reptantibus lapsus: sed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus etiam si labantur. Nam, vt quasdam Artes, ita Eloquentiam nihil magis, quàm ancipitia commendant. Vides qui per funem in summa nituntur, quantos soleant excitare clamores, cùm iam iamque casuri videntur. Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè insperata, maximè periculosa; vtq; Græci magis exprimunt,* παράδοξα, *quæ grandi sunt subiecta discrimini. Ideò nequaquam par gubernatoris est virtus, cùm placido, & cum turbato mari vehitur: tunc, admirante nullo, illaudatus, inglorius subit portum: at cùm stridunt funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & Dijs maris proximus. Cur hæc? quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quædam vt tumida, quæ ego sublimia; aut improba, quæ ego audentia; aut nimia, quæ ego plena arbitrabar. Plurimùm autem refert, reprehendenda annotes, an insignia. Omnis enim aduertit, quod eminet, & extat: sed acri intentione dimi-*

can-

candum est, immodicum sit, an grande; altum, an enorme. Atque vt Homerum potissimùm attingam, quem tandem alterutram in partem potest fugere, & totum illum,

——— βράχε δ' εὐρεῖα χθὼν,
Ἀμφὶ δ' ἐσάλπιγξε μέγας οὐρανός.

Et totum illud,

Ὡς δ' ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ.

Sed opus est examine, & libra, incredibilia sint hæc, & immania, an magnifica, & cælestia. Nec nunc egomet his similia, aut dixisse, aut posse dicere puto: non ita insanio: sed hoc intelligi volo, laxandos esse eloquentiæ frenos, nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringendos. At enim illa conditio Oratorum, alia Poëtarum. Quasi verò M. Tullius minùs audeat. quamquam hunc omitto, neque enim ambigi puto. Sed Demosthenes ipse, ille norma Oratoris, & regula, num se cohibet, & comprimit, cùm dicit illa notissima? Ἄνθρωποι μιαροὶ, καὶ κόλακες, καὶ ἀλάστορες. *Et rursus.* Οὐ γὰρ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ πλίνθοις ἐγώ. *Et statim,* Οὐκ ἐκ μὲν θαλάττης τὴν Εὔβοιαν προὐβαλλόμην ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς, ὅσον ἦν ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ δυνατὸν, *Et alibi,* Ἐγὼ δὲ οἶμαι μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νὴ τοὺς Θεοὺς ἐκεῖνον μεθύειν, τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων. *Iam quid audentius illo pulcherrimo, ac longissimo excessu* νόσημα γάρ. *Quid hæc? breuiora superioribus, sed*

audacia paria. Τότε ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ, καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν. *Ex eadem nota:* Ὅταν δὲ ἐκ πλεονεξίας, καὶ πονηρίας τὶς, ὥσπερ οὗτος ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις, καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε, καὶ διέλυσε. *Simile his;* Ἀπεσχοινισμένως ἅπασι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσεσι ξένων δικαστηρίων. *Et ibidem:* Οὐ τὸν εἰς ταῦτα ἔλαιον προὔδωκας Ἀριστογεῖτον, μᾶλλον δὲ ἀνῄρηκας ὅλως, μηδὲ πρὸς οὓς αὐτὸς ἑάλωκας λιμένας, καὶ προσβολῶν ἐνέπλησας, πρὸς τούτους ὁρμίζου. *Et dixerat,* Δέδοικα μὴ δόξητέ τισι τὸν ἀεὶ βουλόμενον εἶναι πονηρὸν τῶν ἐν τῇ πόλει παιδοτρίβων, ἀσθενὴς μὲν γάρ ἐστι πᾶς ὁ πονηρὸς καθ' ἑαυτόν. *Et deinceps.* Τούτῳ δ' οὐδένα ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα. *Nec satis:* Οὐδὲ γὰρ τοὺς προγόνους ὑπολαμβάνω τὰ δικαστήρια ταῦτα οἰκοδομῆσαι, ἵνα τοὺς τοιούτους ἐν αὐτοῖς μοσχεύητε, ἀλλὰ τοὐναντίον, ἵν' ἀνείργητε, καὶ κολάζητε, καὶ μηδεὶς ζηλοῖ, μηδ' ἐπιθυμῇ κακίας. *Adhuc,* οὐδὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας, καὶ παλιγκάπηλος, καὶ μεταβολεύς. *Et mille talia, vt prætercam, quæ ab Aeſchine* θαύματα, *non* ῥήματα *vocantur, in contrarium incidi dicens, hunc quoque ob iſta culpari. Sed vide quantò maior ſit, qui reprehenditur, ipſo reprehendente, & maior ob hæc quoque. in alÿs enim vis, in his granditas eius elucet: Num autem Aeſchines ipſe, ÿs, quæ in Demoſthene carpebat abſtinuit?* Χρὴ γὰρ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τὸ αὐτὸ φθέγγεσθαι τὸν ῥήτορα, καὶ τὸν νόμον.

νόμον. ὅταν δ' ἑτέραν μὲν φωνὴν ἀφιῇ ὁ νόμος, ἑτέραν δὲ ὁ ῥήτωρ, τῷ τῶν νόμων δικαίῳ χρὴ διδόναι τὴν ψῆφον, οὐ τῇ τοῦ λέγοντος ἀναισχυντίᾳ. *Alio loco;* ἔπειτα ἀναφαίνεται περὶ πάντων ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς τῷ κλέμματι γράψας τὰ πέντε τάλαντα τοὺς πρέσβεις, ἄξιον τοὺς Ὠρείτας μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ Καλλίᾳ διδόναι, ὅτι δὲ ἀληθῆ λέγω ἀφελὼν τὸν πομπὸν, καὶ τὰς τριήρεις, καὶ τὴν ἀλαζονείαν ἐκ τοῦ ψηφίσματος ἀνάγνωθι. *Iterum alio;* Καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου λόγους περιΐστασθαι. *Quod adeò probauit, vt repetat;* ἀλλὰ ἐγκαθήμενοι, καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου λόγους, καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτοῦ τῶν λόγων ἐπιτηρεῖτε. *An illa custoditiùs, pressiùsq;?* Σὺ δὲ ἑλκοποιεῖς, καὶ μᾶλλον σοι μέλλει τῶν αὐθημερὸν λόγων, ἢ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως. *Altiùs illa;* Οὐκ ἀποπέμψησθε τὸν ἄνθρωπον ὡς κοινὴν τῶν Ἑλλήνων συμφορὰν, ἢ συλλαβόντες ὡς λῃστὴν τῶν πραγμάτων διὰ τῆς πολιτείας πλέοντα τιμωρήσασθε, *& alia. Expecto & quædam ex hac epistola,* gubernacula gemunt, & Dijs maris proximus, *ijsdem notis, quibus ea, de quibus scribo, confodias. Intelligo enim me, dum veniam prioribus peto, in illa ipsa, quæ annotaueras incidisse. Sed confodias licet, dummodo iam nunc destines diem, quo & de illis, & de his coram exigere possimus. Aut enim tu me timidum, aut ego te temerarium faciam.*

Ex Carminibus
LEONIS ALLATII
HYMNVS
In Deiparæ Virginis
FVNVS.

Παρθένος ὕπνον ἴαυσεν, ἀλάστορες ἔξιτε πάντες.
Ἔξιθ' ὅσοισι μέμηλεν ἄγος, καὶ ἀθέσφατος ὕβρις,
Φράσσατο νοῦς τε δόλους, ἰόν τ' ἐνιτέτροφε χεῖλος.
Χεῖρα λύθροισί τε, φόνοις βεβροτωμένε, ἔνθεα γαίης
Σπερχομένοισι πόδεσσι λιπὼν ἠλέκτορος αἴγλην
Δύσεο, νερτερίους τ' αἴδου συνεργῖο θοώκους.
Εὐαγέων ὅδε χῶρος, ἀκηρασίῃσιν ἀρήρει,
Λύματα πάντα κάθηρεν. ἑκὰς φύξηλις ἀλάσθω,
Ὅστις ἀϊδρείαις ἀλιτήμενος, οὔτε θεμίστων,
Οὔτε Θεοῦ φιλέει σέβας ἄπλετον· ἤθεσι δ' αἰσχροῖς
Ἐμμενὲς ἐσσόμενος τίνει στονόεσσαν ἀμοιβήν.
Μήμοι γλῶσσα λάλαζε Θεοῦ ὄπιν. ἧπότε κρείων
Ὑψιμέδων ἐνάριζεν ὅσοις ὀλοφώϊα μήδη.
Λώϊον, ὡς βιότοιο πολύστονα δεσμὰ φυγοῦσα
Παρθένος αἰθερίοισι συνωδυνάσθη πολίταις.
Λώϊον, ὡς βροτέοισιν ἀεθλεύσασαν ἀγῶσιν
Οὐρανὸς αὐτὸς ἔδεκτο, πόρεν τε βραβήϊα μόχθων,
Στέμμασιν οὐ λήγουσιν ἀείφρονα κρᾶτα πυκάσσας,
Λώϊον, ὡς λευκῇσι φίλον θάλος ἀγκὰς ἑλοῦσα
Πήχεσιν εἰς οὔλυμπον ἐνάσσατο, καὶ κύε χεῖρας,

Στέ-

Στέρνα τε, καὶ κεφαλὴν, καὶ αὐχένα, καὶ πόδας αὐτοὺς,
Τύμματα τε σίλβοντα πολὺ πλέον, ἢ ὑπείρων.
Λῷον, ὡς ἐχάλεψεν ἀάαλον, ἔργον ἀσκὲς
Τιζαμένη, σιβαρόν τε βραχίονα θῆκεν ἀμαυρὸν.
Τὼς γὰρ καί τις ὀπίζεται Θεοῦ, ἠδέτε φράσσειν
Κείνου μῆνιν ἄαπτον ἐφρόντισεν. ἱερὸς ὁ χῶρος,
Ιερσωύαι ἐ κόμησαν. ἑκὰς κακόχαρτος ἀλάσθω.
Οὔπω θεσπεσίης σοφίης ὑποφήτορες ἄνδρες
Παρθενικὴν κήδευσαν ὑπὸ χθονὸς ἄρτι θανοῦσαν,
Αλλὰ πολυστρέπτοισι δύαις περὶ κῆρι τυπέντες,
Τηκόμενοι πάφλαζον, ἐποχθίζοντες ἀνίαις,
Κηρὸς ἅτ᾽, ἠὲ μόλιβδος ἐπ᾽ ἀνθρακιῆς μαλερῇσι,
Καὶ νιφάδες τήκοντο νότου δααπλῆτος ἀϋτμαῖς.
Δάκρυσι μὲν σονάχιζον, ἰδ᾽ ἔνδοθι νωλεμὲς αἰεὶ
Τειρόμενος παθέεσσιν ὑλάκτεε θυμὸς ἀγήνωρ,
Καὶ πραπίδες δεδόνηντο τινασσόμεναι μελεδῶσιν
Ατλήτοις, αὐτὰρ δὲ ἐρόχθεον ἀμφασίῃσιν.
Καὶ κραδίη μεμέεισο διάνδιχα πορφύρουσα.
Ως σέλας ἠελίου πικυνῇ στροφάλιγγι πολὺ ἄττ
Πάντοθεν ἐσσύμενον, μέγαρον δ᾽ ἔπι κύρσε βολῇσιν
Υδατος εἰς ὑπόκυκλα μέγα σίλβοντος ἀπορρὼξ,
Ηὲ λέβητα, τὸ δὴ νέον ἤλασεν ἀμφιπόλων τὶς,
Ποσσὶν ὀλισθηρῇσιν, ὁδ᾽ ἄστατον ἔνθα, καὶ ἔνθα
Λαιψηραῖς φέρεται δίναις, καὶ πάντα κιχάνει,
Αἰνῶς κινυμένων φέρβον γ᾽ ἴνδαλμα ῥεέθρων.
Τὼς κείνων στήθεσφιν ἰμάσσετο πένθιμον ἦτορ,
Καὶ φρένιν ἀμφήειζεν, ὅπως βελίαο κυδοιμοὺς,
Κερδαλέας τ᾽ ἀπάτας, ὀλοοῦ μέλισματα κόσμου,
Καὶ τῦφον βαρύκομπον ὑπὲρ μερόπων Βασιλήων,

Δυσμενέων τε, φόνους τ', ὁμοκλὰς μετὰ μώλια θήσῃ,
Σοῦ ἄτερ ὦ Μαρίη, σῆς καὶ θεοδέγμονος ὀμφῆς.
Ἣ περ πάντα τέλεσσας ἐφίμερα. νύκτα μέλαιναν
Λευκοτέραν τέκτηνας, ἀμειψαμένη κνέφας ἠοῦς,
Καὶ μόρον ἀσπαστὸν, ξεινοπόθητόν τ' ἄλγος ἐτύχθη.
Τεύξας δάκρυ γέλωτα. τὶ δ' οὐ χθονίοισιν ἄαστον,
Ενθα σὺ μῆτερ ἔρεπτος ἄνης ἐπιδέξιος οὖρος,
Ενθα παραστάτης ἐπιτάρροθος; οὐκ ἀθερίζω.
Οὐδὲν ὑποφείσω. οἳ ναίετε κεύθματα γαίης,
Ταρταρείων βερέθρων δνοφερὸς στρατὸς ἔγχεσι θύων,
Καὶ μένος οὔτι φατειὸν, ἄπλαστά τε σεῖο κορύσσων
Στίφεα μαινομένων ἐπόρουε. πυρὸς φλόγες, οἶδμα
Ρεέθρου ἀμειδήτοιο, Πυριφλεγέθοντες, Ερινύες,
Πάντες ὁμῶς μεμαῶτες ἐμῶν ἐπίβητε μελάθρων,
Γυίων θ' ἡμετέρων. κενεὸς μόθος οὗτος ἐτύχθη.
Ταῦτα θύελλα κόμισσε, καὶ εἰς ὑγρὸν ὤχμασε κῦμα.
Παρθενική με φίλησεν ὑπέρμαχος, ἕρκος ἐμοῖο,
Αὐτὴ ὄνειαρ ἔγεντο. τὶ δὲ στιβαρώτερον ἄλκαρ;
Ως δ' ὅτε χειμερίῃσιν ἐπέχραεν ἀνδράσιν ὥραις
Νασμὸς καχλάζων, μέγα δ' ἔκτυπεν αἰθέριος Ζεὺς,
Υδασιν ἀκρίτοις κρυερὴν πλημμύραν ἐγείρων.
Ρεῖθρα δὲ βλαστήσαντα, λάβρως στενάχοντα ῥοῇσιν
Αμπεδίου σπεύδουσιν, ὅπως ὑδάτων χύσιν αἰνὴν
Χῶρον ἐς αὐτὸν ἄγωσιν ἀλίγκιον οἴδμασι πόντου.
Ως χθονίων ἤϊσσε φάλαγξ, καὶ ἐπέρρεε μίγδην
Φῦλα πολυσπερέων, τά τ' ἐναύλια ᾤκεεν ἠοῦς,
Η δύσιν ἐνναίεσκεν, ὁμέστια πείρασι γαίης.
Οφρα πολυκλαύτοισι Πόλου κραντεῖραν ἰήνῃ
Κληδόσιν, ὀφθαλμοῖσί τ' ἴδῃ, καὶ χείρεσι κούρης

Μι-

Μικρὸν ἐπιψαύσῃ. Τόσον ἔτρεφεν ἤτορι φίλτρον.
Ενθα μὲν ἔπλετο Πάρθος ἀρήϊος, ὃν δρόμος ἵππων,
Ον βελέων ἀτίταλλε μόθος, καὶ θοῦρις Ενυώ.
Ω δόρυ βριαρὸν ἔλω, πόσις ἅρματα, γῆθος ἀκωκή.
Ε῎λε δέ μιν καλλέεσσιν ἀμαιμάκετον περ ἐόντα,
Καὶ λύσσαν κατέσβεσεν, ὃδ' ἔασε τὸ, καὶ γόνυ κάμψας
Δάκρυσι μυδαλέος ψυχῆς ἀπεφοίβασεν ἄχθη.
Καὶ Μῆδος προὔκυσε Κορης πέπλα, καὶ πέδας ἄκρους
Αμβροσίους, ἐρέεντας, ἀνάμπυκας. ἐῤῥέτω ὄλβος.
Ερῥε ῥυηφενίη. βασιλήϊα χαίρετε σκῆπτρα.
Μούνη μοι Μαρίη κτεάνων ἀντάξιος ἄλλων.
  Η καὶ στῆθος ἔφηνε, χέρεσσι χιτῶνα κεάξας
Χρύσειον, χρύσεα δ' ἀπὸ χροὸς ἔκβαλε φάρη.
Χρύσεα, ἠδὲ πέδιλα, τά τ' ἔστεφε κύκλα ποδοῖιν
Δῶκε φέρειν ἀνέμοισιν. ὁδ' αὖ προλωὴς εἰλυχθεὶς
Χέρσω ἐνιπλέχθη, θυμῷ τε σεβάζετο Κούρην.
Τοῖς δ' ἔπι σῶμα γέραιρον ὅσοι Κωρύκιον ἄστυ,
Ηδὲ Φάσηλιν ἔναιον, ἰδ' αἰολα τείχεα Πέργης,
Τερμησσὸν, Λύρβην, Σέλγης τ' ἐξαίρετον οὖδας,
Αντιθέων ἀνέρων μεγαλώνυμον ἔρυμα Λακώνων,
Καὶ χθόνα παιαλέην, ὅσσην διὰ μέσσον ὀρίζει
Εὐφρήτην τε, Τίγριν τε, πολύς τε, καὶ εὔβοτος ὕλην,
Ανδράσιν ἀγρευτῆρσι φίλην, καὶ πώεσι μήλων.
Ενθ' Αραβες, Κίσσιοι τε, καὶ Αρμενίων χορὸς ἔῤῥει,
Καππαδόκης τε μόθων τε, καὶ ἱπποσυνῆς δεδαῶτες.
Οἵ τ' Αἴγυπτον ἔναιον εὐάροτον, οἵ τε Συήνην,
Καὶ Φίλας, βαθέος Νείλου θ' ἑπτάστομον ὕδωρ.
Κυρήνην τ' εὔιππον, ἰδ' ἐσχατιὰς Γαραμάντων,
Καὶ Κρήτην πίειραν, ὅπη Διὸς ἔμμεναι εὐνὰς

Φαί-

Φαῦτο παλαιγενέες δολερῇ κεχαρηότες αὐδῇ.
Καὶ Ῥώμης ζαθέης προλιπὼν βασιλεύτατον ὄλβον
Παρθενικῇ προσέκειτο, καὶ ἔστενεν αἰνὰ μογήσας.
Ῥώμης ἔνθα πέτασσε πύλας, καὶ κλεῖσεν Ὀλύμπου.
Ῥώμης ἔνθ᾽ Ἱεράων κτέαρ ἔμπεδον ἤματα πάντα,
Ῥώμης ἔνθα τέλεσσε πλανοῖσιν ἐτώσιον ἔργον
Ὑψιμέδων, ἀλλάων πόλεων προφερέστερον ἔρδων.
Οὐδὲ σύγ᾽ αὖ ἐλέλειπτο γένει, καὶ θάρσεϊ γύων,
Καὶ σοφίῃ, καὶ ἔπεσσι, καὶ ἰσοθέοισιν ἀέθλοις,
Καὶ τιμαῖς προτέρων ἀειδείκετος. ὑψίνοος δὲ
Ἄλλος ἐπ᾽ ἄλλοις ἦε· τὸ δ᾽ ἔσχατον ἔπλετο μούνοις
Ἑλλήνεσσι κορυφωθέν. πτερόεις δὲ τανυσθεὶς
Ὃν δέμας ἐξήπλωσεν ἐπὶ χθονός. ἅζετο δ᾽ αἰνῶς
Αἰδεσθεὶς καὶ σῶμα θίγειν, καὶ ὄμμα ἐπιβάλλειν.
Εἰς ἐμὲ φέρτε, πίφαυσκεν, ἀολλέες, εἰς ἐμὲ πάντες
Ἐγκονέοιτε πόδεσσιν, ἐπιβρίξοιτε μολόντες,
Ἢ δὲ μέλη πατέοιτε πολύφθορα. αὐτὸς ἀλάστωρ,
Αὐτὸς ἐγὼ θανέοιμι. τί Παρθένον αἶσα καθέλκεις;
Τεῦ με βίῳ προλέλοιπας; ὁμόστιχον ἔξαγε Κούρη.
Ὤλεό μοι γλυκερὴ, σέλας ἵμερον, ὤλεο μήτηρ.
Καί σέλας ἄρτι δέδορκα; τί μοι φθονέοιτε τηλουτῆς;
Δάκρυσι νικηθεὶς ἀκέων ἦν. ἔνθεν ἀφώνοις
Στεινόμενος καμάτοις γεραρὴν ἠσπάζετο Κούρην.
Καί νύκεν ἐκ ῥεθέων μὲν ἀφίπτατο κυδάλιμον κῆρ,
Καὶ πτερὸν οἷα βάδιστε συνέμπορον. ἀλλά τις ὕπνος
Ἀμφιπταθεὶς βλεφάροις, βαρέων ἀπέλυσε μεριμνῶν.
Καὶ πόθος ἦν περίπυστος, ἐπερχομένων τ᾽ ὀρυμαγδὸς
Θηλυτέρων τ᾽, ἀνέρων τε. θέον συνάμ᾽ ἤματι κείνῳ
Παῖδες ὁμοῦ, πολιοί τ᾽, ἀστοί, ξένοι, ἀφνειός, ἱερεύς,

Νήριθμοι μύρμηξιν ἐοικότες, ἠὲ χαλάζης,
Ἢ χιόνος ψεκάδεσσι. φερανθέος ἦρος ἐν ἀκμῇ.
Ἄνθεα γαῖ' ἀνέφυσεν ἀπείριτα. δένδρεσι φύλλα
Μυρία τηλεθόωσι, πέπληθε δὲ κύματα πόντου,
Καὶ ψάμαθος. τίς ἂν ἀμφαδίην τάδε μυθήσαιτο
Χείλεσιν ἀνδρομέοις; Θεὸς εἴδεε ταῦτα πιφαύσκειν.
Ὡς οἱ μὲν κραδίην βλοσυρῇ στενάχοντες ἀνίῃ
Ἔρρεον, εἰσιδέειν τε Κόρην, καὶ νεκρὸν ἀφάσσειν,
Τῆς ἀποφέγγος ἔλαμπε χρόον πολυδαίδαλον αἴγλην,
Καὶ λαμπραῖς ἀκτῖσιν ἀεὶ πελάοντας ὀφέλλον.
Καὶ χάρις ἦν πολύηρος ἀπαὶ μελέων ἀνιοῦσα,
Θυμήρες τε πρόσωπον ὑπαντιόωσιν ὁμίλοις.
Κ' οὐ πέλε δερκομένοισι κόρος. πόνον ἔσχον ὀπωπαὶ
Οσσόμεναι, οὐδ' ἐπλήσθη γλυκὺς ἵμερος. ἦ γὰρ
Ἐνθάδ' ἐν εὐτυχίαισι πανόλβια πάντα τέτυκτο.
Ἦν δέ τις αὐχήεις, ἀθεμίστιος, ἄχετος ἀνὴρ,
Ὅστις ὁρῶν Μαρίης τόσσα κάλλεα, κλεῖα τε τόσσα,
Ζηλήμων ἐκότησε πολυφροσύνῃσι μερίμναις,
Πυρσοῖς τ' ἐχθοδοποῖσιν ἱμάσσετο κηρόθι θυμόν.
Ἔζεε δὲ κραδίη, δύσζηλος ἐτήκετο γλήνη,
Καὶ νόος οἷα θύελλα βιάζετο. μαινομένη δὲ
Νειόθεν ὁρμαίνουσα μόθον πόρφυρε μενοινή.
Ἦ ῥα μέμηνε πόλις, πόθιμοι τάδε πήματα πράξῃ;
Οἴμοι πῶς ἀτέλεστα διέφθορεν. ἵλαθι κρεάντωρ
Οὐρανίων μελάθρων, καινή τις ἐσήλυθε λύσσα.
Τόσσος ὅμιλος ὄρουσε μὴ ἵνα κῦδος ἀνάψει;
Ἀλλὰ Θεοῦ Γενέτειραν ἐφημίξαντο πολῖται.
Αὐτὰρ ἐγὼ δεδάηκα σαοφροσύνῃσι μελῆσαι,
Καὶ γεραραῖς πραπίδεσσι Θεὸν περὶ κῆρι φιλῆσαι.

Αὐτὴ πνεῦμα δίωξεν ἀκήρατος, οὔποτ' ἀλιτρός.
Ἠΐδ' ἀπολλήξω, καὶ ἀναίτιον ὤκυς ἀναστὰς
Τιμήσω Θεὸν ὡς. ὀλοὸν τίνα μοῖτινα μῦθον
Γλῶσσα κακηγορέουσα περισσέννεπες; ἀβδάλε Χειστῶ
Μήδ' ἐγένοντο φίλοι, Μαρίης μὴ νήπια τέκνα.
Μὴ φιλίης ζυγόδεσμα μετ' ἀλλήλοισι τεθέντα,
Τοῖσιν ὁμοφρονέουσιν ὁμῶς ξυνήονι θυμῷ.
Ἤδη πολλὰ μόγησα ὀϊζύος εἵνεκα τῆσδε
Τρυχόμενος. πότε δ' ἄμπνευσις μογέοντι παρέσται;
Ἔννεπε μηνίσας, χαλεπῷ δ' ἐσκύζετο θυμῷ.
Βῆ δὲ θέειν Μαρίην δὲ τρέχων ταχύς. ὦκα δ' ὀπίσσω
Ἐρρέεν ὠκυπέδιλος ἀπειθέα ταρσὸν ἐλίσσων,
Καὶ λελίητο δόμονδε μολεῖν, μηδ' ἔργον ἀνύσσαι.
Ἀλλ' οὐδ' ὣς κατέμιμνε, πάλιν δὲ παλίντροπος ὦρτο,
Καὶ Μαρίην μενέαινεν ἀεικελίῃσιν ἰάψαι,
Καὶ πάλιν αἰδεσθεὶς μετὰ δ' ἐτράπετ'. αὐτίκα δ' αὖθις
Ἄψορρον θύεσκε παλιμπετές. ὀκρυόεις δὲ
Ὕστατα θάρσος ἄατον ἔχων, καὶ ὑπέρμαχον ὕβριν
Παρθενικῇ ἐπόρουσε, καὶ ὑψόθι χεῖρας ἀνάσχων
Σῶμα θεουδὲς ἔμελλεν ἀθεσμοσύνῃσι πιέσσαι,
Ἐς δάπεδον προκάρηνον ἄγειν, καὶ γυῖα μιαίνειν.
Θάμβος ἰδεῖν. παλάμαι μὲν ἐφεστασαν ἔμπεδον αὔτως
Ὑψόθ' ἀερθεῖσαι ξύλον ὥς. πάλιν οὔποτε κείνη
Χεὶρ χρέος κεῖνο τέλεσσεν, οὐδ' ὕστερον ἄλλο τελέσσαι.
Ἀλλὰ περιπλέγδην ἶνες δεσμοῖσιν ἀφύκτοις
Εἰρχθέντες σφίγχθησαν ἀρηρότες. ἃ βραδὺς ὤφθη.
Ἃ χρόνιος δήθυνεν, ὁ πρὶν μελέεσσι πεποιθώς,
Καὶ τροχαλοῖσι πόδεσσι, καὶ εὐσκάρθμοισιν ἀγοσοῖς.
Οὐ δὲ πρόσω μολέειν ἦν, οὐδ' αὖ ἴχνος ἐλίσσειν

Εν-

Ἐνζοπαλιζομένῳ. μοίρῃ δὲ πέπηγεν ἀνάγκῃ.
Γλῶσσα λάλος σίγησε, περιχυθεῖσα δ' ὀμίχλη
Ὀφθαλμοὺς ἐκάλυψε, καλὴν τ' ἔκλεισεν ἀκουήν.
Καὶ πόνος ἦν ἄληκτος. ἐτήκετο δ' ἐνδομύχως κῆρ.
Νειόθι δ' ἐσμαράγιζεν ἀθέσφατον, αὐτὰρ ὀπίσσω
Ἐσκύζοντο τέκοντες ἀμαιμακέτοισιν ἀνίαις,
Ῥιγεδαναῖς τ' ὀδύνῃσιν. ἐμὸν σέβας ἔννεπε Κούρη.
Ἦ ῥ' ἐτεόν σ' ἀνίασεν ὁ δύσμορος, ὁππότε ποινὴν
Τίεν ἀλιτροσύνης, σφεδανῇ δ' ἐργάζετο νούσῳ.
Ῥίγιον ὅττ' αὖ ἀνὴρ Θεὸν ἤκαχεν αἴσυλα ῥέζων.
Ῥίγιον ὅττ' αὖ ἄκλαυτον ἀμβλάσιν ἦτορ ἀέρθη.
Ἵλεος ὦ μελέοις φιλοπάρθενε. μοῦνον ὀπάσσαις
Πένθος ἐμοί, ἵνα καὶ δακρύοισιν ἐμοῖσι λοέσσω
Ἦτορ ἀναιδείαις μεμορυγμένον. ἐκ δὲ καθήρας
Λύματα σοῖς θεράπουσιν ὁμέστιος ἀμφιπολεύσω.
Ὄλβια πάντα φέροιμι ἀπ' ὀλβίστου σέο βουλῆς,
Ἠδ' ἀγαθοῖς θαλέοιμι διαμπερές. οὐ δέ τι ἥβης,
Οὐ σοφίης, κτεάνων τ' οὐκ ἄμμορος, οὐκ ἐπιδευής
Θεσπεσίης φιλίης, ἥ τ' ἔννεπεν ὅσ' ἐνὶ θυμῷ
Κεῦθε τῆλε δόλων. ῥέα γὰρ τάδε τεκτήνειας.
Σοὶ δὲ τί πρῆγμ' ἄρρηκτον; ἑκὰς κακόχαρτος ἀλάσθω
Τῆλε μάλ', ἢ οὐκ εἰσὶ θεοσεβέων γένος ἀνδρῶν.
Ἔνθα Θεοῦ μεγάλου τίσις ἄσχετος αἰὲν ὀπηδεῖ,
Ἀντ' ἀλιτροφροσύνης. καὶ οὐκέτι ἄψεσιν ἥβης
Ἄνθεα κυμαίνει. ὀλοὴ κατεδάμνατο γυῖα
Νοῦσος τηκεδόνεσσι τετηκότος. αὐτὰρ ὀϊζὺς
Ἔμπεσεν αὖ στέγος. ἀχροίη δ' ἤϊξεν ἐρεύθει,
Κάλλος ἀμαλδύνουσα διηνεκές, ἐν δ' ἔτι θυμὸς
Ἀμπνείων ὀλίγος στεναρὸν στυφελίξατο κάρτος,

Καὶ φθινύθεσκε μέλη. σκηπτὸς κατέπρησε τοκῆας,
Καὶ πόλεμος δήωσε φίλον γόνον. ἀργαλέοι δὲ
Χρήματα φῶρες ἄγουσι καὶ ἐλπίδας ἑλόντες.
Ολκάδα τ' ἰθὺ θέουσαν, ὅθ' ἄσπετος ἔπλεεν ὄλβος,
Ρόμβος ἁλὸς κατέβροξε, καὶ οὐκ ἔτ' ἐφείσατο φωτῶν.
Καὶ βώλοιο λέων μυχάτους κευθμῶνας ἐάσας,
Κτήνεα γαστρὶ λάφυσσεν ἀναιδέϊ λείψανα λιμοῦ.
Εργα δὲ γηοπόνων χαλεπὴ κατεδάψατο πάχνη,
Η δὲ βοῶν ἄροτον, καρπῶν τε μελίφρονα φύτλην.
Μή μοι δῖα γένοιτο μετ' ἀνδράσιν εἶδαρ ἐρέπτειν
Κείνοις, ἠὲ ποτὸν πιέειν, ἢ δώματα ναίειν.
Δυσμενέες μοι ἔασιν, ὅσοι σέο δήϊοί εἰσιν,
Οὐδ' ἄγαμαι φιλέοντας ἐπεὶ κέαρ ἐχθρὸν ἐτύχθη.
Αλλὰ μάκαιρα πόλοιο, Θεοῦ δάμαρ, ἦα τιθήνη,
Καὶ γενέτειρα λίταινε, Αχαιΐδος ἄστεα γαίης
Αντιβίων κακότητος ὑπεξερύειν, βαρυδέσμων
Ρυσομένην ζευγλέων. ἀπὸ δ' ἔκβαλε δούλιον ἦμαρ,
Καὶ προτέρην ἐπίκρηνον ἐλευθερίην πολιήταις,
Ανστήσασα δόσεις ταῖσιν πάρος ἔπρεπεν Ελλάς.

In Fastos Sacros Neapolitanos.
Antonij Caraccioli Clerici Regularis.

Σειρήνων ὅδε χῶρος, ὃν ἔδραμε νηῒ μελαίνῃ
  Κηρῷ κἀκκρύψας οὔατα Λαρτιάδης.
Ἐνθάδε θυμαίνουσα θόρησε πανύστατον ἅλμα
  Παρθενόπη πόντου βένθεα δυσαμένη,
Καὶ πόρε Παρθενόπῃ κλυτὸν οὔνομα. ὅττι κε τύμβῳ
  Κείνης οἰχομένης σῆμα κέκλυθε πόλις.
Τὶς δὲ πάλιν ζώωσε νεκρῶν ὄπα; τὶς πάλιν ὦρσε
  Λείριον ἐκ στομάτων ἱμερόεν τε μέλος;
Καὶ Σειρῆνας ἔγειρε; τί μοι τόσον ἔκφυγες ὦ᾽νερ
  Σπουδῇ ἀλλὰ ἀμῆνος; τὶ δρόμον ἐγκονέεις;
Ἦν ζαθέων ἀνέρων Ἀντώνιος ἔκθετο βίβλον,
  Τοῖσι κέκαστο Νέη ὡς φαέεσσι πόλις,
Ζωῆς ἆσμα τέτυκτο, βροτοῖς σθένος οἶδεν ὀπάζειν,
  Ἔστε πλέουσι λιμὴν, ἦρ᾽ ἀχέουσι φέρει.
Τοὔνεκα βαῖνε πρόφρων, ναυτίλλεο, κηρὸν ἀπώσας,
  Καὶ δεσμοὺς ῥήξας χανδὸν ἄφυσσε μέλος.

Aliud.

ΕΝθα Θεῷ πλησθέντες ἀεὶ γηθέουσιν ἐπ᾽ ἐσθλοῖς
  Χειρολάξαι τερπνῶς μάκαρες ἀρεσκόμενοι,
Ἑλκυσθεὶς χθονίων Ἀντώνιος εἴρυσεν ὄμμα,
  Καὶ θάμβησε τόσην ἀστεροπὴν μελέων.
Πρήξιας ἦχι βίου, κρυερούς τ᾽ ἐσκέψατο μόχθους,
  Καὶ θανάτοιο τέλος, κλῆσιν, ἄεθλα, δρόμους.

Κα-

Κείνων μᾶλλον ὄπωπεν, ὅσοι κατ' ἀγήραον ἦκαν
Ἐξ εὐηγεσίης κληδόνα Παρθενόπη.
Τῶν γέ μὲν ἐκκύψας τίς ἀγάφρονος εἶπεν ἐπ' οὖας.
Τοὺς δ' ὀνομακλήδην σῇς σελίδεσσι γράφε.
Δεῖ γὰρ ἐπ' ἀενάοις δέλτοισι γραφέντας Ὀλύμπου,
Γραφθῆναι χρονίοις ἐν πινάκεσσι πέδου.
Ἔνθεν ἀρυσσάμενος κραδίης θεοδέγμονας ὀμφὰς,
Καὶ φρένιν οἰστρηθεὶς θειοδόκοις ἀδύτοις,
Οὔασι, καὶ πραπίδεσσι κέρασσε μελίρρυτον ὕμνον,
Δρέψας Παρθενόπης πρήξιας Ἡγεμόνων.

In Callimachum Atheniensium Ducem in Marathonica pugna extinctum.

ΚΑλλίμαχον βελέεσσι περὶ πλέον ὄμμασι λεύσσων
Δάτις, καὶ γύοις ἔμπεδον ἀκαμάτοις,
Οὐχ ὁμοκλῆς ἀλέγοντα, θοῆς αὐτίπνοον αὔραις,
Οἷς χάδε κόσμος ὅλος, μοῦνον ἰσοστάσιον,
Βάλλε πέδονδε σάκος, νεμέσησέ τε κηρόθι μᾶλλον,
Χείλεα καὶ δάπτων βάρβαρον ὦρσεν ὄπα.
Ἀνέρες αἰνογίγαντες, ὑπέρβιοι, ἀνέρα τοῦτον
Κλίναντες, στονόεντ' οὐκ ὀλέσοιτε φόνῳ;
Ὦ πρόμε ἀθανάτοις ἐπιείκελε τίπτε δαμῆναι,
Εἰς γαῖαν τε πεσεῖν, τοσσατίοις ζομέεις;
Εἰς ἔτι δ' αὖ ἔστηκας· ἔτ' ἔχραες. αἰνὸν ἀνάπτεις
Μῶλον, καὶ νεκροῦ αἱ φρένες ὀξύτεραι.
Μοῦνος ἀνὴρ νίκησεν ὅλον στόλον. ὤμοι ἀνάγκης,
Ἑλλάδι σύμπαντες χειρὶ φυλαττόμεθα.
Ῥήξατε κοῦφα βέλεμνα. τί σεύετε. ἦ γὰρ Ἀχαιοὶ,
Καὶ θνήσκοντες Ἄρηι εἰσὶ βιαιότεροι.

Aliud.

Aliud.

Θῦνε μὲν ἀμπεδίον Μαραθώνιον οὖλιος Ἄρης,
Καὶ δονέοντο φάλαγγες. ἀνέστενεν ἄπλετος αἰθὴρ
Πένθεσι, καὶ βελέεσσι, καὶ ἀνδροφόνοις ἀλαλητοῖς
Σπερχομένων στρατιῶν. λύθρῳ δ' ἐπενήχετο γαῖα,
Καὶ φόνος ἦν ἄληκτος ἀνικήτων παλαμάων.
Καὶ πλοκάμους ῥήξασα πολυφλοίσβων ὑπὸ ῥιπῶν,
Οἷα θύελλα πάφλαζε μόθων ἀκόρητος Ἐνυώ,
Καὶ κραδίην ὀρέθυνε, καὶ ἀνδράσι λύσσαν ἐνῆκε.
Καλλίμαχος δ' ἄξεσος ἐτέρπετο, καὶ θέε χάρμης
Διψώων, καὶ πάλλε σάκος, καὶ κράατα φωτῶν
Κόπτεν ἐπασσυτέρους, τόσον σθένος ἤτορι φέρβεν.
Λαοὶ δ' ἀντηλάλαξαν ἀολλέες. εἷς σκοπὸς ἦεν,
Ἓν κλέος, εἷς πόθος, εἷς ἀνήρ, καὶ σύμβολα νίκης,
Μοῦνος ἔφυς, σέο σαὐτος ἀκήρως Ἑλλὰς ἐτύχθη.
Ἤριπε σεῖο πεσόντος. ἔπος τόδε κρήγυον ἔσκεν.
Ἔκλυε. καὶ δαπέδῳ κρατεροὺς πόδας ἔμπεδα πήξας
Ἔννεπεν. Οὐ πίπτω, ζόος ἵσταμαι οὐράνιε Ζεῦ,
Καὶ μελέεσσι πέπηγα, καὶ ὄρθιος αἴθραν ἱμάσσω.
Καὶ στάσιν ἐξεζάωσα. τίμιοι κλονέεις χύσιν ἄστρων,
Κοιρανίην ἀκράδαντον ἐμῇ στάσει ὤπασ' Ἀχαιοῖς.

In Cynegirum
In eadem pugna obtruncatum.

ΚΑὶ δὴ μυριόνασν στρατὸν ἤλασαν υἷες Ἀθηνῶν,
Καὶ Ξέρξεω βύθισαν παμφάγον ἠνορέην.
Εἷς δέ τις ἰσχὺν ἄπλατον ἔχων, καὶ κῦδει γαίων

Εἰν χθονὶ νικήσας ᾤετο θέειν πρὸς ἅλα.
Καὶ παλάμῃ σχεδίην δολιχοῖσι θέουσαν ἐρετμοῖς
Λάζετο, καὶ χειρὸς σωζομένης ἐπέδα.
Τὴν χαλκὸς νηλὴς ἔσχισεν. ὁ δ᾽ ἥλλατο πρόφρων,
Καὶ λαιῇ πιέσας ναῦν ἀέκουσαν ἄγεν.
Ἀκρόπολιν δ᾽ ὤχμαζεν, ἵν᾽ ἄρεος ὄχος ὀπάσσῃ
Ἀτθίδι, καὶ στήσῃ σύμβολα καμμονίης.
Οὐκέτι ταῦτα φέρειν γαιήοχος ἔσθενε θυμῷ,
Ἀλλὰ τάχυς θορέων ἁλμυρὸν οἶδμ᾽ ἐσέδυ.
Εἶπε δ᾽ ἀλαστήσας φθονερᾷ φρενί. οὐκέτ᾽ ἀρείης
Ἔνθα ναιετάω. εἶμι ῥόον πελάγους.
Ἐχθαίρω Φοῖβου γλυκερὸν σέλας. αἰδέομαι γὰρ
Νικᾶσθαι θαλλῷ Παλλάδι, καὶ πολέμῳ.

In Petrum Van Villingen Medicum, ac Philosophum præstantissimum, Romæ eruditionis gratia peregrinantem.

ΠΕζε βροτῶν ἀμείβων πτόλιας, καὶ μῆτιν ἀθρήσας
Σὴν ψυχὴν, ἑτάρων τ᾽, ἄρνυσό τ᾽ ἀλλοτρίων.

Erratis, quæ inter imprimendum aliqua irrepserunt, excusationem dabit prudens, & non iniquus Lector.